EPISTOLAE

IOANNIS PHIL. ROOTHAAN

SOCIETATIS IESU PRAEPOSITI GENERALIS XXI

VOLUMEN PRIMUM

LUDOVICUS DE JONGE ET PETRUS PIRRI SACERDOTES S. I.

EDIDERUNT

ROMAE

APUD POSTULATOREM GENERALEM S. I.

5, BORGO SANTO SPIRITO

LECTORI SALUTEM

Initium facimus hoc volumine edendorum documentorum, quae ad vitam et facta A. RP. Ioannis Roothaan, Praepositi quondam Generalis Societatis Iesu, illustranda spectant. Qui vir egregius Societatem Iesu per 25 annos singulari plane sapientia et animarum zelo difficillimis temporibus ita gubernavit, ut memoriam eximiae prudentiae et sanctitatis nunquam perituram reliquerit. Quae documenta hoc potissimum consilio edituri sumus, ut inde appareat quam praeclaris sapientiae, sanctitatis, constantiae, prudentiae dotibus a divina Bonitate ornatus sit, quam impigre ac fortiter, quanto cum fructu ad maiorem Dei gloriam animarumque salutem promovendam ad vitae finem usque incubuerit.

Triplicem documentorum seriem ex ordine publicabimus. Quarum una litteras ab ipso P. Roothaan datas continebit; altera scripta eius spiritualia; tertia aequalium, parentum, familiarium de vita et virtutibus eius testimonia exhibebit.

I Series: EPISTULAE

Epistularum uberrimam messem colligere nobis licuit.

Iam earum litterarum, quas Ioannes Roothaan, antequam ad Societatis Iesu regimen vocatus est, scripsit, numerus haud exiguus exstat. Ex quibus in puero ac iuvene iam viri senisque quasi quandam praeformatam imaginem colligimus. Habemus enim corpus quoddam sat magnum atque integrum fere epistularum ad amicos ac parentes datarum, quibus nobis ostenditur iuvenis non pius minus quam eruditus, Gymnasii ac porro Athenaei in patria urbe alumnus egregius, novicius deinde ac scholasticus S. I. in via perfectionis in dies proficiens, sa-

cerdos tandem cum in litteris docendis tum in apostolico munere exercendo ac collegio Taurinensi regendo praeclarus.

Multo etiam maior earum litterarum est numerus, quas Praepositus Generalis Societatis, tam ad socios quam ad multos viros primarios dedit, quorum exemplaria bene multa volumina, quae in Archivio Societatis Iesu servantur, complent. Visum est igitur necessarium ex hisce ea seligere quae ad Ecclesiae et Societatis Iesu historiam, ad P. Roothaan vitam moresque, ad doctrinam eius asceticam cognoscendam plurimum conferrent, ne operis huius moles in immensum incresceret.

Hoc igitur volumen primum ea tantum continet, quae Generalatus tempus antecedunt et ingenium, mores, pietatem, vitam denique, quam dicunt privatam, potissimum describunt. Duo quae deinde sequentur volumina tempus regiminis eius complectentur. Quorum momentum ad rerum historiam perspiciendam etiam multo maius erit. Neque minus valebunt ad imaginem Praepositi Generalis effingendam, qui in gravissimis negotiis, in rebus maxime arduis et adversis, immotus et imperturbatus, unius Dei gloriam maiorem animarumque salutem spectans, non fortiter minus quam sapienter creditam sibi Societatem Iesu per omnia pericula salvam rexit et traduxit.

Speramus ergo haec volumina omnibus et utilia fore et grata.

II Series: SCRIPTA SPIRITUALIA

Ex hisce pleraque omnibus bene nota sunt, praesertim praeclara Exercitiorum Spiritualium S. P. Ignatii versio ex autographo Hispanico summa diligentia confecta multisque adnotationibus ornata, quae quantum valuerit ad pietatem tam apud Religiosos et Sacerdotes quam apud populum Christianam promovendam nemo ignorat.

Exstant praeterea scripta complura spiritualia Patris Roothaan, quae aut omnino sunt inedita aut solis fere Societatis Iesu alumnis cognita. Quo in numero praesertim habendae sunt egregiae litterae encyclicae, quas multas ad universam Societatem misit.

Quae omnia in corpus unum collecta et edita egregiam prudentissimi vitae spiritualis magistri sapientiam, fortitudinem, suavitatem ostendunt, qui divinae gloriae, sui abnegationis, salutis animarum ardentissimum studium, ex S. P. Ignatii exercitiis haustum, in omnes Societatis Iesu filios transfundere non cessat, aliis docendis quae fecit ipse.

III Series: AEQUALIUM TESTIMONIA ALIAQUE QUAE AD VITAM EIUS ILLUSTRANDAM SPECTANT DOCUMENTA

Tertia series ea aequalium et familiarium continet testimonia, quae ad viri egregii vitam moresque cognoscendos sunt utilissima:

1° Commentaria a quibusdam viris gravissimis fideque dignissimis de P. Roothaan vita et virtutibus accuratissime conscripta; quo in numero potissimum ea recensenda sunt, quae PP. Ios. Manfredi, Ferdinandus Minimi, Eduardus Terwercoren reliquerunt.

2° Epistulae quaedam de P. Roothaan vita et moribus scriptae, quas idem P. Manfredini collegit.

3° Documenta quaedam alia ad vitam venerabilis servi Dei spectantia.

Quae documenta cum essent plurima, ea tantum seligere placuit, quae maioris momenti essent; ex reliquis quaedam notatu digniora excerpsimus.

Edendi methodus haec optima visa est:

Ea documenta, quae integra daturi eramus, aut ex ipsis archetypis fideliter transscripsimus, aut ex versionibus, quae a diligentibus et fide dignis translatoribus confectae, in archivio Societatis Iesu asservantur.

Servatur plerumque lingua qua ipsa exempla conscripta sunt. Neerlandica tantum in latinum sermonem convertenda duximus; quae conversio ut esset quam fidelissima summo studio elaboravimus.

Ad singula porro documenta adnotabimus, utrum ipsa scriptoris lingua servata sit an in latinum sermonem conversa. Item utrum sit autographum, an apographum, indicato simul archivio vel fonte unde desumptum sit.

Praemittetur item singulis documentis breve argumentum; addentur paucae, si quando necessariae erunt, annotationes.

Singulis demum voluminibus brevis praeponetur praefatio; nominum tabulae et duo analytici indices, alter chronologicus asceticus alter, in fine adicientur.

PRAEFATIO PRIMI VOLUMINIS

Quatuor sunt fontes praecipui, unde primi huius voluminis litteras hausimus. Primae litterae sunt eae, quas ad I. Gilles scripsit, carissimum in litterarum et virtutum studio socium et a prima aetate amicissimum, cui omnia sua libentissime credebat, quem in arduo ad sanctitatem cursu sodalem et adiutorem sibi perpetuo fore sperabat.

1° Quod primum epistularum corpus mentem nostram atque oculos *refert ad ea tempora,* quibus Ioannes undevicesimum annum agens, scholas publicas *Amstelodami* frequentabat. Apparet ex iis ingenua familiaritas et integritas animi singularis, qua alter cum altero pietatis et doctrinae studia conferebat, alter alterum ad maiores in dies progressus excitabat. Unde hae litterae pulcherrimae suavissimaeque nobis videntur. Cernimus Ioannis praeclarum ac supra aetatem maturum ingenium, solida variaque doctrina ornatum; cernimus multo magis divina dona pio iuveni collata, cernimus nascentem sensimque invalescentem vocationem divinam, qua innocentissimus iuvenis non fortiter minus quam suaviter ad vitam religiosam in Societate Iesu amplectendam adducebatur; cernimus tandem « certamen forte, quod Deus ei dedit ut vinceret », i. e. gravem cum animo suo, cum parentibus, cum amicissimo suo Ioanne Gilles luctationem, quam ut Deo vocanti obtemperaret fortis et constans toleravit.

2° Sequuntur litterae illae, quas Amstelodamo in Russiam profectus, ad parentes, fratrem, patres S. I. qui Amstelodami morabantur, sive ex itinere sive ex ipsa Russia dedit.

Iter maritimum Amstelodamo Rigam usque longum ac molestum eleganter describit; vitam in tirocinio, in scholasticatu, in magisterio exactam enarrat, primos etiam, quos iuvenis sacerdos sive apud nostros, sive apud populum fidelem salutis fructus retulit.

Anno 1820 cum Societas Iesu ex toto imperio Russico expelleretur, P. Roothaan magnum iuniorum scholasticorum coetum, longo itinere molestiis periculisque permultis arduo, in Italiam salvum eduxit.

3° Brigam deinde Helvetiae missus, primum Magister et Praefectus Spiritus Scholasticorum nostrorum, dein Missionarius, tandem Socius Praepositi Provincialis creatus est. Quo tempore et ad parentes et ad P. Mauricium Nizard, quem in Russia discipulum habuerat, aliquot litteras misit.

4° Taurini tandem anno 1824 Rector Collegii constitutus, cum P. Manera ac porro cum P. Generali Aloysio Fortis frequens epistularum commercium iniit. Quae quidem litterae et ad collegii Taurinensis historiam et ad mentem animumque P. Ioannes Roothaan cognoscendum sunt utilissimae. Ostendunt curam vere paternam, qua se totum sociorum alumnorumque saluti devovit, ostendunt calumnias, odia, insectationes, quibus pio ac sapienti Rectori fuit occurrendum, ostendunt magnum eius animum et excelsum, solam Dei gloriam spectantem, solius Dei auxilio inter omnia pericula fretum.

Suave officium est gratias agere omnibus, qui editores adiuverunt, maxime autem P. Ludovico Clobus fratribusque scholasticis nonnullis S. I. Velpis in Neerlandia, Rectori Henrico Berkhout Amstelodami, P. Carolo Wilde S. I. Hagae commorantibus, P. Henrico van Offeren S. I., Typogr. Gregor. in Urbe moderatori.

IOANNES PHILIPPUS ROOTHAAN

Soc. Iesu Praep. Gen.

A. 1785, d. 23 Nov., Amstelodami natus est.

1801-1804 Litteris et philosophiae in Athenaeo Illustri Amstelodamensi operam dedit.

1804-1806 Dunaburgi in Soc. Iesu admissus tirocinium peregit.

1806-1809 Magister fuit l. cl. in collegio Dunaburgensi.

1809-1812 Polociae theologicis studiis operam dedit.

1812-1820 In colegiis Puszano et Orszano scholasticos S. I. rhetoricae praecepta docuit.

1819, d. 2 Febr., solemnem votorum professionem fecit.

1820-1823 Brigae in Helvetia rhetoricam docuit et populum sacris missionibus instituit.

1823-1829 Rector collegium S. Franc. de Paulo Aug. Taur. gubernavit. — Viceprovincialis Italiae constitutus est.

1829-1853 Praepositus Generalis Societatem Iesu rexit.

1853, d. 8 Maii, Romae diem supremum obiit.

CORRIGENDA

Pag. 18, 5 - non permisit ova, carnes permisit; *leg.*: permisit ova, carnes non permisit.

» 19, 3 - 13 volumina; *leg.*: 3 vol.

» 91, 3 - Xaverium; *leg.*: Xaverius.

» 100, 2 - Favore, quo Summus Pontifex; *leg.*: Favorem.

» 108, 3, adn. - Ep. I; *leg.*: Ep. II.

» 194, - in SS. Cordibus Iesu; *leg.*: in SS. CC. Iesu et Mariae.

EPISTOLAE A IOANNE ROOTHAAN SCRIPTAE ANNIS 1802-1804, QUIBUS IN ATHENAEO ILLUSTRI AMSTELODAMENSI LITTERIS ET PHILOSOPHIAE STUDEBAT.

I. Ad Ioannem Gilles

1. *Gratulatur amico quod in Seminarium admissus est; pie ei invidet; quid de se futurum sit divinae Providentiae committit.* — 2. *Difficultates interpretandi nominis Ioachim et textus cuiusdam Isaiae solvit.* — 3. *Salutationes, mandata, cet.*

Amstelodamo, 11 Nov. 1802

Carissime et honoratissime amice [1].

Gratulatur amico quod in Seminarium admissus est.

1. — Magno cum gaudio accepi tuam amicam ac benevolam epistolam, quae mihi auspiciis laetissimis et maxime propitiis reddita est. Benedictionis divinae enim dies erat (dominica), cum in loco benedictionis pleno (ecclesia) eam per aliquem, qui Nomine Altissimi impertire benedictionem solet (sacerdotem) in manus accepi. Hinc statim verisimile visum est mihi, qui nuntius primo adventu tot benedictiones haberet comites, eum certe nisi de salute mihi non nuntiaturum esse. Revera in ista epistola laetos legi sensus animi, qui iam extra mundi huius turbas positus, ab omni terrena amaritudine alienus, nihil nisi dulcedinem, nihil nisi spirituale gaudium in plena quiete percipienda inveniat. Revera videor mihi te audire exclamantem verba regii Poëtae, quae etiam pius ille Thomas a Kempis ex animo profundebat, solitariam vitam SS. Religiosorum amplexus: « *Quam bonum et quam iucundum est habitare fratres in unum* » (Ps. 132 v. 1). Ego quoque legens epistolam tuam continere me non potui, ne saltem intus mihi dicerem: « *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti* (et) *perfecisti eis, qui sperant in te!* » (Ps. 30 v. 20). Iam igitur te felicem praedicare possum ista sorte, in qua equidem, quan-

(1) Ioannes Franciscus Iosephus Gilles, Amstelodamensis, amicus iuvenis Roothaan et studiorum socius. Anno 1802 Bredam profectus in Seminarium clericorum admissus est, quo cum Ioanne Roothaan epistolarum commercium habuit. Sacerdotio insignitus obiit in pago Contich die 28 Iunii anno 1815, aetatis 34.

Amici navicula portum secura intravit, sua alto mari agitatur.

tumcumque ex tua parte ex animo gaudeo, ex mea tamen facere non possum ne tibi non invideam. Nam revera! cum tuam sortem attente considero eamque cum mea confero, menti meae apparet vivida imago duarum navium, quarum altera in portum feliciter invecta, perfugio fruitur securo, altera vero, in saevis undis alti maris etiamnum fluctuans, ventis ac tempestate huc illuc agitatur. In te iam verum factum est, quod David olim de iis cecinit, qui sperant in Domino: « *Abscondes eos* (*Domine*) *in abscondito faciei tuae a conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo* » (Ps. 30 v. 21). Tu iam invenisti quietis locum, quem ego quaerere etiamnum debeo.

Divinae Providentiae sortem futuram committit.

Quae tandem aliquando mea destinatio erit? An fortasse Warmunda? (1) Fiat voluntas Dei! Ipse disponat secundum beneplacitum suum! Sit benedictum Nomen Sanctum eius! Idem ille Deus, qui tibi istum locum procuravit, nec mei, ut spero, obliviscetur. Ora pro me, sicut ego pro te oro. Interea vero, quod ad te attinet, felix esto, amice mi, felix esto!

Interpretatur nomen Ioachim.

2. — Maximo cum gaudio audivi, Graecam et Hebraeam linguas tibi valde utiles esse; quod mihi tanquam stimulum ad studia illa adhibere possum. Quod attinet ad nomen *Ioachim* (2) eodemque significari *praeparationem Domini,* quaesivi ex Domino Boele (3), qui haud magis quam ego interpretari illud potuit. Attamen cum hanc pararem epistolam, expedire mihi visum est, nomen ipsum prius in Hebraeo textu quaerere, quo melius eius significatio inveniretur. Hoc igitur nomen, quod *Vulgata* vocat *Ioachim,* sic scriptum invenio in Hebraeo, in IV Reg. apud Hebraeos II Reg. c. 25 v. 27 יְהוֹיָכִין. Id autem compositum esse videtur ex יְהוָֹה vel יָה: *Dominus,* et יָכִין a כּוּן, *parare, disponere.* Pia igitur allusio illa, quasi Ioachim Deo habitaculum praeparaturus esset (Vide Nakat. (4) in orat. ad S. Ioachim), haud quidem strictissimo sensu cum eo convenit, quandoquidem non significatur: « *parabit Domino* », sed « *Dominus* (*eum*) *parabit* », sed textus huius allusionis perbene capax est, si *parare* hoc loco pro eligere vel praedestinare accipere volueris. — Quod ad locum Isaiae attinet, perspicua est differentia.

Item Is. 7, 14.

Ibi (5) scribitur proprie: « *aliqua Virgo* est *gravida* », nam תָרָת adiectivum est. Si enim verbum esset, sane scri-

(1) Seminarium maius Hollandiae.

(2) Confusio nominum Ioachi*m* et Ioachi*n* ea aetate communis erat. — Etiam nunc Italice nomen patris B. M. V. scribitur Gioacchi*no*.

(3) Magister linguae hebraeae Amstelodami in « Athenaeo Illustri »; praeceptor et amicus Roothaan et Gilles.

(4) Caeleste Palmetum, liber precum a Patre Nakateni S. I. compositus, vix non ubique usitatus. Versio Neerlandica a. 1796 edita est.

(5) Is. 7, 14.

bendum fuisset הָרְתָה, quia עַלְמָה feminini generis est. At hoc mihi non satisfecit. Hebraeum cum consuluissem, hic mihi asseveravit, Perf. pro Fut. in Prophetica scriptura esse usitatissimum atque idipsum esse, quo utatur Iudaeus ad hunc textum detorquendum et ad dicendum, prophetam loqui de rege quopiam circa illud tempus nascituro. *Virginem* communiter interpretantur *puellam, feminam.* Ad me quod attinet haud alienus sum ab opinione, sive per negligentiam sive per malevolentiam scribarum, hoc atque plura alia menda subintroivisse. Undenam enim tanta differentia in pluribus locis, ac praecipue in Psalmis aliisque Propheticis operibus, inter Versionem S. Hieronymi et Textum Hebraeum, quo nos utimur? Hoc quidem certum est, Iudaeo prodesse potuisse mutationem, quae in una littera vel una distinctione sita fuisset.

Salutationes, mandata.

3. — Salutem plurimam tibi dicunt Parentes mei, item Dominus Boele et familia eius. En quid mihi de te commendarint. Petunt nomine fabri qui naviculam (1) construxit, ut quoniam appropinquante hieme difficillimum est eam hic ita servare, ut nullum damnum capiat, curare velis, ut locus indicetur, quo eam mittat ante quam gelu vecturam prohibeat. Quo iis gratissimum feceris. Curabo ut catalogi ad te perveniant, si per cursorem postalem id fieri possit, de quo equidem inquiram. Certus interea esto, tuum de libris mandatum a me cum omni cura ac diligentia executioni datum iri. Vale, Frater! commendo me amicitiae tuae; persuasum tibi habeas, me omni cum aestimatione esse

Tuum benevolentissimum sincerumque amicum

I. P. Roothaan L. H. S.

in festo S. Martini, hora a. m. prima.

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis, 450. 1 (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) Videntur Ioannes eiusque amici patrio more remorum et velorum ludo animos relaxasse.

II. Ad Ioannem Gilles

1. *Monet amicum pacti, quod anno ante inierunt, ut alter pro altero quotidie oraret.* — 2. *Quas theses duce v. cl. van Lennep defenderit.* — 3. *Studiis litterarum adiunget studium metaphysicae.* — 4. *Fieri potest, ut in Seminario Warmundano theologiam auditurus sit.* — 5. *Salutationes, mandata.*

Amstelodamo, 20 Dec. 1802

Dilectissime amice.

Verus amicus amici bonum procurat.

1. — Quamquam externis etiam signis amicus amico benevolentiam manifestare debet, sine ulla tamen controversia amicitia ipsa in corde sedem habet. Essentia autem affectionis huius est in desiderio constanti boni eorum, quos amicos diligimus; quantacumque officia alter alteri praestiterit, si non e corde fecerit, non est nisi species simulata et vanitas. Ita omnino est! Debet verus amicus veram amici felicitatem semper quaerere. Quid autem invenitur, quo id melius assequaris, quam pio illo usu, quem ab anno inter nos tenemus? Usum dico quo quotidie una cor nostrum sursum ad Deum elevamus, Illum una adoramus, laudamus, Illi gratias agimus! Quo Eum, cuius infinita bonitas sola veram hominis felicitatem promovere potest, una alter pro altero oramus. Quo vera amicitiae officia mutuo praestamus, quae ista, quae mundus officia appellare solet, infinite longe superant. Revera, si quid est quod verae amicitiae nota gloriari possit, sane potest pius ille usus, quem uno abhinc anno, mecum communicasti. Pro hoc igitur accipe ex mea parte quam maxime grati animi significationem, atque ab Omnipotenti manu exspecta mercedem, quam tibi procurare mortalis nemo potest [1]. — Iamdudum statueram hac de re ad te scribere 16° Dec. qua die spiritualem communitatem illam inivimus; verum ad hodiernam diem illud differre coactus sum, propter multiplices occupationes quibus detinebar. Illa enim ipsa die in Collegio Dni. D. I. van Lennep [2] mihi theses aliquae defendendae erant.

Pie inter se pacti sunt, ut alter pro altero quotidie oraret.

Theses quas in collegio philosophico v. cl. D. I. van Lennep die 16 Dec. 1802 defendit.

2. — Fieri potest ut cupias Theses, quas defenderim, scire. En, quae sunt earum praecipuae:

1. « *Omnia peccata aeque peccata esse concedimus, aequalia esse negamus* », contra famosam Stoicorum thesim: ὅτι ἴσα τὰ

(1) Cfr. ep. XXXVI.

(2) David Iacobus van Lennep (1774-1853) in Athenaeo Illustri Professor clarissimus ling. cl., Mentor Ioannis.

ἁμαρτήματα καὶ τὰ κατορθώματα de qua Cicero tractat in 3 Paradoxon.

2. « *Ob causam eo tempore satis validam poëtas Reipublicae noxios censebat Plato* ».

3. « *Nec tamen ideo nostris etiam temporibus omnino a lectione poëtarum veterum est abstinendum, modo illa prudenter et caute instituatur* ».

4. « Verissime Seneca Ep. XCVII: ' TUTA *scelera esse possunt,* SECURA *non possunt* ' ».

3. — Quoniam in laboribus meis narrandis nunc versor, pergam. Nosti, quid in Graeco sermone duplicato munere [1] laborandum habeam, quam linguam tibi perutilem esse dixisti. Nosti, quid de Psalmis faciendum sit pro Domino Boele [2] etc. etc. Praeter haec omnia, aliud quoque assumendum mihi contigit. Cum aliquando Parochum Beukman [3] visitarem, de Metaphysica locuti sumus; cui cum operam non darem, significavit, dolendum fore si eius notitia mihi deesset auctorque fuit ut Monasterium irem ibique aliquamdiu Metaphysicae ac porro Philosophiae studerem. Praevidebam fore ut Parentes mei ad id haud propensi essent, eo etiam minus quod rerum condicio in ea regione tantopere sit perturbata. Nihilominus ad Rev. Patrem Beckers me contuli, ut illum ea de re consulerem; qui rem mihi dissuasit, dicens hodiedum in istis regionibus tam multos *illuminatos* spiritus inveniri, ut iam ex ea solum parte res possit esse periculosissima. Interea paucis abhinc diebus alia se obtulit occasio, per D. Belderok, coadiutorem Rev. D. Beukman. Qui cum notum sibi haberet D. de Witt [4], qui Lovanii studuit Philosophiae, benigne ab illo pro me petivit dictata eius de Metaphysica; qui promisit se ea mihi transcribenda daturum esse. Hic igitur novus iterum campus aperitur, in quo per hunc annum exerceri possim.

De studiis litterarum.

Consilium cepit operae dandae metaphysicae; R. D. Beukman ei suasit ut Monasterium iret; R. P. Beckers dissuasit. Manebit Amstelodami.

4. — Tum, quid fiet? Redit quaestio, quam in superiore quoque epistula attigi! Warmundane tunc sors mea erit? Cui quaestioni quae respondisti, ea me tibi quam maxime obligatum tenent. Id tamen mihi fas esto animavertere: quamquam sint mali Christiani aliquot, Ecclesiam nihilominus semper manere sanctam; item, quamquam vestitus studiosorum War-

Dubius haeret quo, absolutis litterarum studiis, theologicis se tradat, in Seminario Warmundano an alibi.

---

(1) V. cl. van Lennep auctor fuit ut Ioannes publice in aula Athenaei Orationem haberet « de litterarum graecarum studiis, cuivis disciplinarum generi utilissimis ». Cfr. ep. IX.

(2) V. cl. Boele Ioannis auxilio usus esse videtur in curanda editione Hebraica Psalmorum; cfr. ep. XLII D. B. ad I. R. scriptam.

(3) Henricus Beukman, Parochus Ecclesiae « De Pool » Amstelodami ab anno 1791. Mortuus est die 16 Ianuarii 1819.

(4) Bernardus de Witt Amstelodamensis (1794-1805) sacellanus R. D. Gerardi Hegeman in eccl. « Het Hart », Amstelodami.

mundanorum cum eorum statu minime conveniat, eo tamen non impediri ne Collegium ipsum bonum esse possit. Fateor, nec diffiteri quisquam potest, Professorum officium esse huius rei curam gerere; verum si quis propter istam culpam ipsum Seminarium Warmundanum condemnaret, is, mea quidem opinione, temerarium tulisset iudicium; eo magis, quod doctissimi sane simulque virtute praediti sacerdotes inveniuntur, qui idem seminarium tueantur, quique studiosos, qui ad se pertinent, eo mittant. Quod si sunt, qui hac in re officio suo non recte fungantur, illi profecto tremendam rationem reddere debebunt de re quavis, vel minima, qua fidelibus scandalo fuerint.

Bonam Seminarii famam defendit.

Ceterum, quod mihi suades, ut bonum consiliarium eligam, id sane momenti est maximi; necessitatem eius quasi manu tango. Neque dubitari potest, quisnam futurus sit. Ille profecto ad quem Deus me inde a primis annis mittere dignatus est, hac in re primum locum obtinet. Non est cur nomen eius tibi dicam (1).

Mandata, salutationes.

5. — Navicularum (2) fabro mandatum nuntiavi; hic vero statuit per hiemem naviculam domi tenere. Iam ad vexillum quod attinet, quaerit quo modo virgae deduci debeant, perpendiculariter an librate; designationem proinde habere cupit, in qua videre poterit, quot numero virgae esse debeant, quaenam albae et quaenam virides, et quo illae modo debeant esse dispositae. Ceterum, beatum precor tibi Natalitium tempus atque felicem exitum huius, qui fere iam decurrit, anni 1802.

Parentes mei te salutant, omnesque, qui cognatione tibi devincti sunt. Vale amice dilectissime! prospere succedant tibi labores tui, neve mei obliviscaris unquam, qui professus obsequium testor me esse

Tuum amicum *ex corde*
IOES PHS. ROOTHAAN
Phil. e Litt. Hum. St.

Amstelodamo,
pridie festi S. Thomae 1802.

ARCH. SOCIETATIS IESU, BRUXELLIS. 450. 2 (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) Pater Adamus Beckers (1744-1806), qui Amstelodami ecclesiae De Krijtberg, per plures annos praefuit et a. 1803 in Societatem Iesu iterum ingressus est.

(2) Cfr. adn. ad ep. 1.

III. Ad Ioannem Gilles

1. *Ineunte novo anno amico felicia precatur, praesertim autem auxilium divinum, ut vitam sancte agat et bonus sacerdos fiat.* — 2. *De quibusdam contionibus quos audivit.* — 3. *Laudes Seminarii Warmundani.* — 4. *Salutationes, mandata.*

Ineunte Novo Anno 1803

Care amice.

1. — Sicut exeunte anno 1802 gratum officium mihi fuit, felicem illius exitum tibi precari, ita haud minus vetus illa nostra sed semper magis ac magis confirmata amicitia me obligat, ut tibi ineunte 1803 sensus cordis mei hac in parte manifestem. En igitur denuo annum terminatum aliumque incipientem quem alii in vicem sequentur. Sic porro vivit homo per annos aliquot, dum tandem veniat annus omnium ultimus, quem incipiet quidem at non perficiet. Felicem, revera! felicem illum, qui in superioribus ita vixerit, ut ultimus ei tristitiam non pariat; felicem illum, qui in prioribus ea collegerit, quae in ultimo opus ei erunt; felicem denique illum, quem extremum tempus illud deducet ad eum locum, ad quem prius contendit, ad eum finem, quem semper quaesivit, ad eam denique quam semper spectavit salutem aeternam! Sollemnia incipientis anni precatur.

At quid scribo! Haec enim nunc in loco non sunt. Tempus nunc non est ut de talibus rebus cogitemus. Gaudendi tempus est! Est *NOVUS-annus,* atque ineunte novo anno homines solent hilari vultu inter se felicia precari! « Verum est (ut nuper ait Rev. Pater A. Beckers, cum apostolicum ardorem gravi eloquentiae cathedrali consocians ad fideles verba faceret atque animadverteret, quo ipso tempore Ioseph gemeret, Maria lacrimaretur, recens natus Iesus in gravibus doloribus sanguinea circumcisionis sollemnia subiret, eo homines interea gaudiis nimis repleri) verum est, inquit, solere homines sibi hac die « fausta precari, atque ego quoque ac serio equidem Vobis « quaecumque fausta precor, idque ex intimo profecto corde « meo. Verum tamen timeo ne omnia ista, quae fieri soleant, vacua sint vota! Etenim quid vos in hoc anno vobis desideratis? « Desideratisne vos a corporis morbis doloribusque futuros esse « liberos? Desideratisne fore ut mors abhinc omnibus caris ami- « cis et necessariis vestris parcat? Desideratisne terram hoc anno Quaedam sententiae a sermone R. P. Beckers desumptae.

« fecundiorem fore? Ast, nostis enimvero effectus inobedientiae « protoparentum nostrorum! Nostis, terram esse maledictam « eamque saepe etiam labori cuilibet, ab operario diligenter ad« hibito, pertinaciter resistere! Nostis, mortem esse poenam « peccati atque hominem inde a lapsu suo omnibus incommodis, « omnibus morbis malisque esse expositum! Qualem ergo felici« tatem desideratis, cum enim veram felicitatem invenire non « sit in terra hac, in qua imperfecta sunt omnia, nihil aptum « quod omnino satisfaciat homini? Deus solus est vera felicitas « atque Ille etiam solus vera felicitas esse potest ». Id deinde latius ab oratore tractatum est eique materia sermonis fuit. Iam igitur ego quoque tibi, dilecte amice, nullas terrenas delectationes opto, nullas carnis dulcedines, sed multo altiorem felicitatem. Opto, ut ad maiorem honorem et gloriam Dei, ad aedificationem proximorum, ad tuam ipsius beatitudinem eum amplecti statum valeas, ad quem nunc contendis. Opto, ut, auxiliante Deo, magnos progressus facias in iis studiis, quae te aliquando constituant lumen Ecclesiae Christi, in cuius gremium receptus es. Opto, ut Altissimus te magis ac magis gratia ditare velit, qua ad beatum finem pervenias, ob quem Creator te hominesque omnes hac in terra statuit. Opto denique Tibi *beatum* NOVUM-ANNUM. Id autem non verbis opto sed corde; et quoniam haec humana dona non sunt sed a Deo descendunt, ideo continuo ea ab Illo pro te precabor, qui solus dare valet.

Optat, ut amicus feliciter absolutis studiis Maiorem Dei gloriam sacerdos procurare valeat.

2. — Per hos sollemnes festos dies pulcherrimos sermones audivi, quorum duos praecipue commemoro. Alter erat de textu: « *Et vidimus gloriam eius* », Ioan. 1 v. 14, in quo ostendit orator quaenam illa sit gloria. Haud sane terrenam magnitudinem Scriptura praedicat, sed paupertatem et humilitatem, unde sequitur, in his consistere veram beatitudinem atque verum bonum, quandoquidem ipse ea Deus Sibi elegerit. In altero agebatur de verbis Malachiae Prophetae c. 4 v. 2: « *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae et sanitas in pennis eius* ». Christus est ille Sol iustitiae: sicut naturalis hic sol aegrotis refectioni est, ita etiam Sol ille supernaturalis ad sanationem constitutus est hominum omnium qui venenoso pomi morsu in morbum deciderant. Propterea, cum vitam mortalem ageret tam valide clamabat: « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos » etc. — Putavi me tibi non ingratum facturum esse si haec scriberem. Spero te non omissurum esse data occasione mecum aliquid communicare de sermone, quem habiturus es postridie festi Epiphaniae Domini. Bene eveniat!

Puncta quaedam aliorum sermonum quos audivit.

Alia non habeo quae scribam, nisi salutationes Parentum meorum, D. van der Maesen, aliorum amicorum, praecipue D.

Schrant [1]. Is per aliquot dies in hac civitate degit mihique narravit, sibi Warmundae primo adventu secundum Seminarii leges triduo exercitiis spiritualibus in sacello vacandum esse, ut ad clericalem vitam se praeparet; item eos qui ordinandi sint novem dies ita meditationibus vacare debere. Onus grave, sed mea quidem opinione, utile institutum. Promisit se mecum aliquando communicaturum, quem ordinem diurnum meditationibus piis vacantes observare debeant. Quem, si placuerit, ad te etiam mittam.

Exc. Spir. in Seminario Warmundano tum novis Studiosis tum Ordinandis traduntur.

D. Schrant iam ex me quaesivit, ubinam esset D. Gilles, utrum studeret, in quanam disciplina? At secundum tacendi officium, quod mihi imposuisti, id ab illo reticui, sicut ab aliis multis qui idem ex me cognoscere voluerunt.

Mandata, salutationes.

Vale, amice optime, ora pro me, ad me scribe et memento me esse atque fore semper

Servum tuum devotum sincerumque amicum

I. P. Roothaan

L. H. St.

N. B. — Occasio hic interdum datur emendi *Chronici Simsonii* quo libro utor quotidie quique mihi in dies maiori usui est. Quod si forte illud nondum habueris, scribe quaeso an accipere velis.

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis, 450. 3 (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) Van der Maesen et Schrant ex amicorum Ioannis circulo, quorum hic postea, in universitatibus Gandavensi et Lugdunensi professor factus, frustra conatus est cives catholicos reconciliare cum gubernio Iosephismo imbuto, ille iuris peritus Amstelodami nomini catholico honori fuit.

IV. Ad Ioannem Gilles

1. Contioni a Gilles elucubratae maximas tribuit laudes; aliquam animadversionem addit. — 2. Semper animo parato est ad officia amico praestanda; de libris emendis. — 3. Salutationes.

Amstelodamo, 27 Ian. 1803

Amice aestimatissime.

Contionem ab amico habitam laudat, addita aliqua animadversione.

1. — Quo ardentius desiderium meum erat epistolae a te accipiendae, eo maiorem laetitiam cum venit attulit. Quantopere autem voluptas mea augebatur, cum quae ea continerentur legerem, imprimis responsum tuum ad ea quae de praedicatione tua quaesivissem! Maxima delectatione perfundebar puncta eius legens, ac sine adulatione (cui inter veros sincerosque amicos locus non est) tibi dico, mihi quam maxime placuisse tam compositionem ac divisionem partium, quam pulchra, quae ex eis ducuntur praecepta morum. Unam vero animdversionem tecum communicare velim, quam audivisse tibi spero haud ingratum fore. In prima parte, qua de diligentia Magorum dicis in inquirendo Salvatore, ut ostendas quam periculosum sit primam gratiam neglexisse, quoniam Deus tunc alteram saepe recuset, sic ratiocinaris: « Si distulissent Magi, iam in Aegyptum se « abscondisset Salvator ideoque frustra Eum illi quaesivissent ». Quod inde sequitur morum praeceptum, pulcherrimum est atque omnino verum; sed futurum fuisse ut Salvator profectus iam esset in Aegyptum, si Magi haud statim visa stella venissent, id equidem concedere non possum. Etenim quare monitus est S. Ioseph ut cum puero Iesu et Matre eius in Aegyptum fugeret? Quia, inquit Angelus: « Futurum est ut Herodes quae- « rat puerum ad perdendum eum » Matth. c. 2 v. 13. Herodes ergo si puerum non quaesiisset ad occidendum eum, fuga S. Familiae necessaria non fuisset. Atqui si quis ulterius inquirat, quomodo Herodes in eam cogitationem venerit, concludet sane, si Magi non venissent, futurum fuisse ut Herodes ne scivisset quidem, natum fuisse Salvatorem. Qua de re, consideratis omnibus rebus, quae apud Matth. c. 2 leguntur, mea quidem opinione, concludere licet: « cum fuga in Aegyptum, sensu aliquo, effectus esset adventus Magorum, neque Salvator in Aegyptum se abscondisset, si illi distulissent venire ad Eum quaerendum ».

Attamen, ne praeceptum morum, quod deduci inde potest pereat, ponere licet, si primum visam stellam revera neglexissent, fieri potuisse ut haec evanesceret, utque ipsi, hac duce destituti, aut in via erravissent, aut forte ne cogitassent quidem

amplius de itinere aggrediendo. Haec sufficiant; tu, quaeso ea habeas ut animadversiones et cogitationes amici tui.

2. — Optarem equidem, ut hisce tibi nuntiare possem, me tam mihi quam tibi Vetus Testamentum secundum versionem Septuaginta comparasse, verum tanti vendita sunt, quanti neque mihi neque tibi aestimare ausus essem. Noli ergo putare, me per labores meos libros illos emere et etiam catalogos transmittere oblitum esse; absit, dilecte amice. Labores meos valde multiplicatos esse, verum est; at certus sis velim, cum amicorum unum cor sit et anima una, cumque ego, qui me sincerum amicum tuum dico, tua commoda pro meis habeam, me quantiscumque laboribus adduci non posse ut officium meum erga te neglegam. Absit amice optime! Alia ratio est momenti multo maioris, quare transmittere catalogos omiserim, quod iudicavi inutilem fore operam atque expensas absque ullo commodo. Cum enim ad me scripseris de catalogis, in quibus theologici prostarent libri, scias oportet nondum ullos huius generis adfuisse; nisi tu Calvini, vel Lutheri, vel Melancthonis, vel Coccei aliorumve huiusmodi theologicos intellegeres libros. Quodsi nonnulli adfuissent, qui tibi usui esse potuissent, tam sero de futura venditione nuntium audivi, ut tempus ad catalogos transmittendos non suppeteret. A Vidua enim Tedroodt (1) nullos adhuc accepi. Ut tibi persuadeas mitto cum hac epistola catalogum librorum, qui apud Romanum Bibliopolam Crajenschot (2) vendentur, exspectans fore ut theologici libri, quales desideras, ibi inveniantur. Venditio erit medio mense Februario; tanto tempore ante nulla mihi unquam nota fuit. Remittas eum velim (est enim unum exemplar quod habeo), adnotato quosnam libros a me emi velis et quanti. Noli autem putare id a me nunc ideo fieri, quod mihi in memoriam revocaveris. Absit, absit, care amice! Primum id nunc facio, quia prima nunc se obtulit occasio.

Libenter amico officia praestat; mandata librorum emendorum nondum exsequi potuit.

3. — En, care amice quod tibi modo scribendum habui. Parentes mei te salutant. Vale! ora pro me, scribe mihi, me esse atque manere memento

Salutationes.

Devotum servum tuum atque amicum
I. P. Roothaan
H. Litt. St.

Scribis de *Vocabulario* Marini;
at nescio quaenam sit optima
editio neque quantam pecuniam dare velis.

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis, 450. 4 (*Versio ex ling. neerl.*).

(1) Bibliopola in De Kalverstraat.

(2) Theodorus Crajenschot, edendis libris catholicis Amstelodami et Gandavi (Poelman) de religione optime meritus est.

V. Ad Ioannem Gilles

1. *Incommoda quaedam in emendis libris expertus est.* — 2. *De studio metaphysicae et de Universitate Lovaniensi ab Ecclesiae hostibus deleta.* — 3. *De Catechesibus S. Cyrilli Hier.* — 4. *Salutationes, vota.*

Amstelodamo, 21 Febr. 1803

Amice aestimatissime.

Mandata librorum emendorum implere voluit sed in titulo et in pretio erravit.

1. — Maxima cum voluptate ante aliquod tempus accepi catalogum cum epistola quam inserueras, qua mihi mandasti, ut in venditione apud Vid. Tetroodt aliquot pro te libros emerem. Tua mandata, quasi meae ipsius res essent, cordi habui atque executus sum; verum audi, quid mihi apud Vid. Tetroodt advenerit. Scripseras mihi, ut apud eam emerem *Hebrim* de Missa. Nomen Auctoris ita scriptum erat, ut mihi in eo aliud legere non viderer nisi Hebrim. Quod nomen etsi non audieram unquam, me tamen ad Viduam nostram contuli, ut pro te emerem librum Hebrim. Cum autem servus asseveraret neque sibi nomen illud notum esse, intellexi utique me perperam legisse. Paululum igitur exspectavi, dum servus ipsam Domn. Tetroodt vocasset, quae brevi somnio nos liberavit, dicens: « Le Brun ille erit ». Sed id nullius momenti est; quod sequitur gravius est. Scripseras enim: « puto singulos libros constare quaternis senis vicesimis ». Verum in hoc errasti; constant enim non quaternis sed denis s. v., id est trinis florenis. Quapropter emptionem horum librorum ad ulterius mandatum distuli, sicut etiam aliorum opusculorum, quae apud Vid. Tetroodt comparanda mihi habui. Quod porro ad alios libros attinet, quos in catalogo notaveras, ex his emi aliquos; en eorum indicem. Quoniam autem postulas ut suppeditatae pecuniae rationem conficiam, petitioni tuae satis faciam. Emi ergo:

Rationem reddit.

In Folio: Biblia van der Schuur, de quo mandatum tuum erat	f. 18	ad	f. 16
In Quarto: Burmanni *Vita Hadriani VI* .	» 1	»	» 1
In Octavo: Hellinx, *Meditationes* . . .	» 3	»	» 2-12
Devotus Agricola	» 1-4	»	» 16
			f. 20- 8
Pro collybo			» — 13
Pro deposito et vectura			» — 6
Pro vectura catalogi			» — 6
			f. 21.13

Alii libri aut pluris venditi sunt quam mandaveras, aut eos non tales esse comperi, quales esse debebant; e. g. quoad *Vocabularium* Marini, notasti f. 6, veniit vero f. 7. Insuper in ipsa venditione audivi, *Vocabularium* Halmae melius esse, quod re comprobatum est; nam cum Marini venderetur f. 7, Halma veniit amplius f. 11. Verum haec iam de libris satis. Ceterum persuasum habeas, me numquam omissurum, res tuas et commoda tua tamquam mea quam optime fieri possit curare.

Gaudet studiis metaphysicae. Magnopere dolet e deleta Universitate Lovaniensi.

2. — Paulo ante scripsi, fore ut dictata de Metaphysica a Domino de Witt, qui Lovanii studuisset, transcribenda acciperem. In his cognoscendis nunc versor, quod studium mihi pulcherrimum esse videtur. Haec *Dictata* ita composita sunt ut, quamvis brevissima tamen adeo clara sint, ut mihi, etiam absque ulla explicatione plane perspicua esse videantur. Quam vero dolendum est, eam Universitatem, quae per tot annos ingenia adulescentium studiosorum acuisset, quae e gremio suo tot tantosque viros tam Ecclesiae quam Civitati edidisset, quae per longam annorum seriem magis ac magis ad perfectionis culmen ascenderet, nunc nefasto atque damnando odio Religionis ruinis obrutam iacere. Dico ab hostibus Dei ac Religionis et omnium rerum, quibus optimae Universitates crescant ac floreant, eam ita prorsus esse deletam, ut ne ulla quidem spes supersit, fore ut ex cineribus denuo exsurgat atque ad priorem splendorem revertatur. Revera infaustum hoc accidit mihi, infaustum tibi et omnibus aequalibus nostris, qui talibus diebus nati simus, in quibus tot redundantes fontes bonarum artium occlusi sint! Ast Deus ita permisit: benedictum sit S. Nomen eius! Fieri potest ut alicubi reviviscere faciat quod in his aliisque locis compluribus fuerit suffocatum! — Quomodo tibi placet Logica Lovaniensis, quam ex aliqua epistula tua apud vos in Collegio dictari intellexi?

Hostes Dei et Religionis vicerunt, sed Dominus providebit.

Legit graece Catecheses S. Cyrilli Hier. quas etiam amico legendas mittet.

3. — Porro, ut nosti, etiamnum constanter Graecae linguae studeo et quo ulterius in hac lingua progredior eo utiliorem eam nobis esse iudico. Paulo ante libellum emi, Lutetiae impressum Anno 1564, in 8°, continentem *Catecheses* St. Cyrilli episcopi Hierosolymitani, qui saeculo quarto vixit. Apud Movery invenies, in his Catechesibus a S. Patre multa argumenta dari pro Eucharistia. Revera aliquot capitula iam legi, quae tantopere mihi placuerunt ut, etiamsi Graece nihil aliud reliquum factum esset, ego hoc solo libello me abundantem mercedem accepisse censerem laboris, quem ad Graecam linguam adhibuerim. Vellem tu quoque eum haberes. Si quando tempus mihi suppetit, eius partes nonnullas transcriptas epistolae modo tibi mittam.

Salutationes cet.

4. — Parvo abhinc tempore litteras ad me dedisti, in quibus alteras incluseras pro Domino Boele. Qui, cum superiorem epistolam ad te missurus eram, suam nondum scripserat, quam postea acceptam nunc ad te una cum mea mitto. Inscriptio litterarum eius tibi testari potest quam bene tacuerim. Putat namque *Dominum Ioannem Gilles Antverpiae* esse, neque ego melius novi. Cum sacrum quadragesimalis ieiunii tempus appropinquet, omittere non possum tibi precari, ut id tibi profuturum sit ad minuendos defectus et ad virtutes augendas; ad quod si ullo unquam tempore, sane hisce diebus Ecclesia nos excitat, quibus maximum Amorem Salvatoris mundi erga hominem peccatorem continuo nobis ante oculos ponit. Hoc anni tempore statum meum cum tuo commutare nollem, nisi etiam Ypelarii [1] quotidie tanta opportunitas esset meditationum audiendarum, quanta Amstelodami. Finem faciens me amicitiae tuae commendo et tibi assevero me esse atque manere

Tuum devotum sincerumque amicum

I. P. Roothaan

L. H. S.

P. S. Parentes mei toto corde te salutant.

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis, 450. 5 (*Versio ex ling. neerl.*).

(1) Seminarium in Brabantia prope Bredam.

VI. Ad Ioannem Gilles.

1. Errare humanum est; memoria temporis praeteriti. — 2. Libros nonnullos pro Gilles emit. — 3. Apologia S. Zeelander bene conscripta est; auctor usus est Patribus graecis ad refutandos errores v. cl. van den Honart. — 4. Versionem aliquam e lingua Graeca in Latinam ab amico factam laudat; adnotationes de significatione aliquorum vocabulorum; de medio et passivo. — 5. Salutationes, cet.

Amstelodamo, 14 Mart. 1803

Amice aestimatissime.

Errorem fatetur in commercio epistolari commissum.

1. — Quod tu extremum et quasi redundanter in imo folio epistolae tuae (quam maxima voluptate 5° huius accepi) addidisti, mihi ego initium sumo, te rogans, ut meam mihi negligentiam condones, qua litteram G in inscriptione ponere oblitus sum. Haud diu postquam epistola ad postalem stationem pervenit, tuarum litterarum inscriptio, quam in theca habeo, casu mihi in manus incidit ac visa littera G mox in memoriam mihi reduxit, omissum fuisse aliquid. Quod quamvis supplere cuperem, factum erat et quidem ita factum, ut accidit saepius, ut errores tunc primum advertas, cum reparandi remedium iam non adsit. Age, quid dicam? *Errare humanum est.* Adagium est, quod certe etiamnunc memoria tenes, ab illo inde tempore, quo ambo tam diligenter at sine fructu operam dedimus, ut contra dissertationem E. C. d'Engelbronner disputaremus (1).

Cum gaudio temporis praeteriti meminit.

Cum gaudio semper memini temporum illorum, quibus non solum corde sed loco etiam coniuncti eramus. Tunc enim fiebat ut, secus ac nunc, cum tam difficili imperfectoque modo sensus nostros inter nos communicamus, multo facilius difficultates alter alterius colloquentes solveremus. Ast tempus illud praeteriit et id solum reliquum est, ut ipsi nos rebus accommodemus neve res nos sibi.

De libris emendis.

2. — Quod iam ad libros attinet: pro Le Brun, secundum tuum mandatum, obtuli Vid. Tetroodt primum 24, postea summum 30 s. Respondit, maritum p. m., si aliquando pro illo pretio eos dedisset, id profecto non fecisse nisi postquam complures in venditione quapiam simul emisset, in qua saepius quidem contingeret, ut qui libri constarent f. 10, pro f. 3 venderentur; porro strictissimum pretium esse f. 2-12; hoc eos a se bibliopolis omnibus tradi atque eodem etiam Domino Gilles nitide colligatos a se traditum iri. Opusculum, cui titulus est, *Dei Ecclesia,*

(1) In collegio v. cl. van Lennep.

quo agitur de Breviario, illi notum non est; pro eo aliud mihi proposuit, quod iamdudum prodiit et quod inscribitur : *Dei Ecclesia etc., contra « Aliquod responsum etc. »*... Equidem non arbitror hoc esse quod desideres. — Backs (1) *Sermones* veniit f. 13-10. Tuum mandatum erat f. 13 vel, si liber esset pulcherrimus f. 14, sed cum haud pulcher esset, nolui excedere f. 13-5. Quodsi plus etiam obtulissem, puto tamen me eum non accepturum fuisse.

Opus P. G. Smits pretio dignum est.

Gratias tibi ex animo ago de diligentia, qua mihi commendasti opera P. Gulielmi Smits (2), quae equidem emere haud praetermittam, si quando se obtulerint. Nosti autem nos heic in regione habitare, in qua tales libri raro appareant. Ipse eos adhuc nunquam vidi.

De utilitate linguae graecae ad haereticos refutandos.

3. — Quod ad tuam animadversionem de Graeca lingua attinet, nimium quidem eheu vera est atque certum etiam est, hinc magnos saepe viros turpiter errasse, cum pro originali versionem sequerentur, illinc vero notitiam Graeci sermonis multis summopere usui fuisse in haeresibus oppugnandis, in refutandis locis perperam adductis ex Scriptura vel Ecclesiae Patribus, vel etiam in multis aliis casibus. Id ipse quoque in dies magis experior, valdeque in ea sententia confirmor legendo opere, qui inscribitur : *Fundamenta firma C. Fidei,* auctore S. Zeelander, 7 volumina in 8°, quod tibi commendo. Quod opus scriptum est contra van den Honart, Prof. Lugdunensem, qui tractatum ediderat de Transsubstantione. Hic inter alia ausus erat contendere, antiquis Patribus ignotam fuisse Transsubstantiationem; ad quod demonstrandum locos adduxerat aliquot, qui aut perperam translati aut iniuria adducti erant. Hunc refutat Zeelander, cum praeterea multas atque varias sententias producat SS. Patrum, qui evidenter fidei Ecclesiae R. C. favent. Inter alios (loquens de miraculis, quae ab antiquis Patribus circa S. Eucharistiam facta esse narrantur, ex quibus, etiamsi ea credere necesse non est, deduci tamen potest, quid de hoc dogmate senserint) adducit eum ipsum ex S. Chrysostomo locum, quem in tua epistola mihi indicasti.

Laudat apologiam, quam S. Zeelander scripsit in librum van den Honart, *de Transsubstantiatione.*

Adnotationes in versionem e lingua graeca in latinam ab amico factam.

4. — Gratum mihi est tecum communicare, tuam huius loci versionem mihi videri accuratissimam, sed auctor tibi sum, ut assuescas Graecum sermonem potius in Hollandicum quam in Latinum convertere, quandoquidem illa lingua multo melius quam haec videtur assumere proprietates linguae graecae. Animad-

(1) Rumoldus Backx mechlinensis (± 1650-1703) canonicus et plebanus Antverpiae. Sermones eius 14 vol. editi inter optima opera Neerlandice (Flandrice) conscripta numerantur.

(2) P. Gulielmus Smits O. F. M. 1704-1790 scripsit praeclaros commentarios in libros S. Scripturae et quaedam opera isagogica, doctrinae plena. Cfr. ep. VII.

versiones tuae de aliis versionibus rectissimae sunt. Nihilominus merito videtur mihi pro κάτω νευόντων positum fuisse *capite inclinatorum,* quia verbum νεύω proprie magis capitis nutum significat quam ceterorum membrorum; quod apparet ex compositis ἀνανεύω, *renuo, abnuo* = capite nuere « non »; ἐπινεύω annuo = capite nuere « ita ». Puto etiam, Latinis verbis *nuo, annuo, abnuo, renuo,* quae verisimile est a Gr. νεύω originem ducere, proprie significari motus, qui capite fiant, ad indicandum aliquod recusari vel concedi.

De vi vocis θεόπνευστος in 2 ad Tim. 3, 16.

Petis ut de vi vocis θεόπνευστος, quantum notum mihi sit, tibi scribam et ut addam quid mihi de illa parenthesi in Hederico videatur? Quid dicam? Fateor, difficillimum quidem esse bene respondere. Componitur ex vocabuli θεὸς et πνευστός. Iam quaestio est, utrum significet *spirans* an *inspiratus,* seu utrum active an passive sit intelligendum. Universe invenies verbalia in τος et στος passive sumi: ὀνομαστός, ἀκουστός, ἐπικλυτός, κλυτός, κνικτός, etc. Pervolve totum Hedericum et reperies hanc *regulam fere semper* valere. Dico, *fere* semper; sunt enim exceptiones inter quas ipsum infeliciter est πνευστος. Vide modo composita cum πνευστος, inveniesque ἄπνευστος et εὔπνευστός, quod utrumque activo sensu usurpari solet, alterum pro *non spirans,* pro *bene spirans* alterum; qua re litem de voce θεόπνευστός decernere difficile reddi intelliges, quantum quidem ad Etymologiam vocis attineat. Ceterum communiter consentiunt, in 2ª Epistola Pauli ad Timoth. c. 3 v. 16 γραφὴ θεόπνευστος significare Scripturam divinitus inspiratam. Sic vertit Leusden, sic habet Hebraeus מִכְתָּב אֲשֶׁר מֵרוּחַ אֱלֹהִים, sic Luther, *alle Schrifft von Gott eingegeben;* sic etiam in suo Lexico Stephanus. Iam vero ex hac sola consensione mihi videtur argumentum pro versione Vulgatae satis validum fieri.

De usu medii et passivi; de interpretatione Act. 22, 16.

Porro quaeris, utrum Medium aliquando induat significationem passivi? De ea re valde dubito. Orta difficultas est ex Act. 22. v. 16 βάπτισαι. Vulgata vertit *baptizare* neque ibi uno verbo aliter verti potuit; at non credo eodem totam vim exprimi Graeci βάπτισαι. Etenim quid proprie est Medium? Est quasi medium quoddam inter Activum et Passivum, id est, neque mere Activum est neque Passivum mere. Est quasi mixtio utriusque; e. g. cum dico: ἀπολούομαι, *ego me lavari facio,* tam aliquid passivum significo quam activum; passivum, quia ab alio lavor, activum, quia sino vel iubeo. Proinde βάπτισαι potius verterem « *sine te baptizari* », quo mihi videtur vera vis Medii exprimi.

Interpretatio Iud. 11, 31.

Postremo Hebraica etiam difficultas, Iud. 11, 31: וְהַעֲלִיתִהוּ. Hanc vocem divido in וְהַעֲלִיתִי et הוּ. Prior pars perspicua est, at quid est הוּ? Non sane dividendum est in ה et ו, quia tunc iure quaeres unde illud ה et quare וּ pro ו? At non ita. הוּ si-

gnificat *eum*; interdum accedit א, interdum omittitur. At quare tunc non additur simpliciter, ut aliis in locis, ו? Respondeo: quia haec repugnaret concatenationi vocalium. Sic etiam invenio c. 2, v. 15, c. 3 v. 23, c. 4 v. 8, et aliis locis infinite multis.

5. — En, care amice, ad tua quaesita, quantum in mea erat potestate, respondi. Longior iterum epistola est, ut ex S. Cyrillo eidem aliquid adiungam. Habeo insuper aliquid de Christi agendi ratione in Horto, necnon de verbis Salvatoris ad Iudam: *Amice ad quid venisti?* Sed haec omnia cogor omittere, prae defectu spatii atque temporis, quia propinquat hora Cursoris.

Mandata, salutationes.

Durante Quadragesima licitum apud nos est carnes et ova edere. At nonne plerumque ova pro deliciis sunt? Satis miror, quod Episcopus Mechlinensis non permisit ova, carnes permisit. Estne huius rei peculiaris ratio? Quod si tu eius certior es, eam, quaeso, mihi indicare velis.

Ceterum vale, carissime amice, neve unquam sincerum atque benevolum amicum tuum e mente amiseris, qui, postquam te a Parentibus meis amanter salutavi, me dico

Tuum tibi devotum
I. P. Roothaan
L. H. S.

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis, 450. 6 (*Versio ex ling. neerl.*).

VII. Ad Ioannem Gilles.

1. *Libenter amico omnia officia praestabit.* — 2. *Quos quantique libros pro eo emerit.* — 3. *De operibus P. G. Smits et Iusti Modersonii; de utilitate linguarum Graecae et Hebraeae.* — 4. *Interpretatio textus Hebraei.* — 5. *Quid sentiat de pronuntiatione litterae latinae j.* — 6. *Prudentia necessaria est ei qui publice iura civium defendit.* — 7. *Laudet contionem ab amico habitam.* — 8. *De R. P. Wyland Cliviensi O. F. M. qui vices R. P. Groenen gessit.* — 9. *Salutationes mandata.*

Amstelodamo, 12 Apr. 1803

Amice aestimatissime.

Semper paratus est ad officia amico praestanda.

1. — Quanta voluptate epistolam tuam, 27 Mart. datam, acceperim, dicere non valeo. Non parum autem miratus eram cum legerem te « animo confusum fuisse opera » (sunt tua verba) quam tua causa dederim. Quid igitur! Timesne ne tantum in me non valeat amicitia, ut alacriter et hilariter faciam quidquid iusseris? Absit! noli ita putare; potius certus esto, quoscumque labores pro te assumpsero illos mihi haud fore oneri

sed delectationi. Securus igitur libertate ista utere, et mox iterum atque etiam pluries postea, quoties placuerit, a me pete, ut aliquid pro te faciam. Interim gratissimum mihi iam fecisti, cum rogares ut Viduae Tetroodt pro Le Brun f. 2. offerrem. Sed antequam de rebus gestis apud Vid. Tetroodt te certiorem faciam, animadvertendum est te non recte me intellexisse, cum scripsissem, pretium illius libri esse quidem f. 3, sed Vid. Tetroodt eum pro f. 2,50 vendidisse cuidam, qui in auctione aliquot libros coemisset. Intellexisse videris, scripsisse me, eos a viro illo in venditione quapiam emptos fuisse. Non ita; eos in officina Tetroodt emit, sed Tetroodt eos prius coemerat. Perspicis sane, editorem alicuius operis exemplaria, quae in auctionibus prostent, semper sibi coemere, ut pretium retineatur.

De libris tam emendis quam emptis.

2. — Adivi igitur ad Viduam Tetroodt, cui ex mandato tuo obtuli f. 2 et insuper, ut animum ei facerem, addidi, si daret, 12 eiusdem exemplaria a te emptum iri pro f. 24. Ad quod respondit, se id quidem facere non posse, sed se proponere ut ego tuo nomine senas vicesimas singulorum pretio adderem. Liquet me respondisse id fieri non posse. Cum igitur ianuam iam manu contrectarem profecturus, illa iterum locuta est: « Si pro 12 libris mihi f. 25 dare volueris, fiat, annuam: minoris vendere nunc non possum. Insuper inquit, pro floreno illo eos bene colligari iubebo, quod alias extra rationem solvendum erit ». Equidem primo negavi, sed aliquandiu cunctatus sic mecum reputavi. Quid faciam? In singulis libris pretium ne duabus quidem « vicesimis » differt. Si prius scribo, stipendium postale separatum solvendum ei erit atque interea librorum usu destituitur ». Consideravi quoque, te tam exigua pretii differentia emptionem non esse dirempturum, proinde si hic adesses, rem transactum iri. Itaque assensus sum, sperans fore ut haec res, quam ut meam ipsius tractasse mihi videor, tibi probaretur. Hos itaque libros, una cum Catechismo Rev. Dom. Beukman ad me misit pretio f. 27 —, quod ei solvi et pro quo hisce inclusam apocham accepi. Ratio igitur summae suppeditatae haec est:

De pretio nonnullorum librorum.

Pro aliis libris, secundum priorem Rationem	f.	21	13	„
Pro novis libris		27	„	„
Pro sarcina ad navem deferenda et pro assignatione penes Commissarium		„	5	„
Summa . . .	f.	48	18	„

Ratio redditur.

3. — Gratias tibi ago, quod de operibus P. Smits me monuisti. Quam recte conieceris, fieri posse ut aliquot illius operis volumina hic inveniantur, experientia doctus cognovi. Nam triduo posteaquam epistolam tuam accepi, 13 volumina haud plu-

Opera P. G. Smits et Iusti Modersonii sibi emit. Linguae Graeca et Hebraea theologo necessariae sunt.

ribus quam 12 vicesimis emere potui: Librum Sapientiae et Ecclesiasticum, nondum insecata. His adiectus erat liber, anno 1695 Antiverpiae typis mandatus, qui inscribitur Conciones seu Commentarius litteralis moralis in Psalmos Poenitentiales, auct. Iusto Modersonio (1). Is mihi valde probabilis auctor esse videtur et linguas Graecam Hebraeamque bene intellexisse. Profecto utraque lingua Theologo, qui paullo maiorem operam impendere vult intelligendis S. Scripturae et Patribus, momenti maximi est summaeque utilitatis. Quocirca eas semper tibi commendavi iterumque nunc commnedo.

Solutio difficultatis in interpretando loco e Novo Testamento Hebraeo.

4. — Quamquam, quid opus est haec scribere? Ipse enim id perspicis atque te perspicere ostendis in epistolis, quas identidem ad me mittis. Ipsa postrema huius opinionis novum argumentum praebet; inquiris enim de versione loci ex Novo Testamento Hebraeo: מִכְתָּב אֲשֶׁר מֵרְבַּחַ אֱלֹהִים

In quo loco tractando mihi confirmas, quod expertus saepe sum, nos si in interpretando loco aliquo aliquod vocabulum semel male intellexerimus, ab una difficultate in aliam decidere atque tandem in eum devenire labyrinthum, unde nisi post tempus repetita lectione, evadere non possimus. Difficultas tua sita est in voce מֵרוּחַ: de cuius significatione tantopere incertus es, ut singulae interpretationes suas producant dubitationes, quas mox aliae sequuntur, dum tandem deficias et haereas. In hoc vero (sine faciam parvam digressionem) quasi imaginem eorum, qui se Reformatores dicunt video. Nam quomodo tibi, mihi, aliis evenit in re quae nullius momenti est, ita istis evenit in eo quod est omnium praecipuum, in fide dico. Etenim ubi primum ab una Catholica Ecclesia aberrantes unum errorem protulerunt, mox ex isto alii errores orti sunt, propterea quod semel a veritate separati, in erroribus veritatem invenire iam non poterant. Vixdum falso dogmate statuto cum non omni ex parte absolutum esse viderent, novam mutationem induxerunt, quae mutatio sua ipsius falsitate aliam ultro prodidit atque sic continuo alia aliam destruxit. Hinc Luther in Indulgentiis sistere non potuit, sed quoniam intellexit, illis reiectis alia fidei dogmata quae inter se cohaereant, reicienda esse, reiecit etiam haec. Hinc brevi tam diversi generis Reformatores prodire visi sunt. Ubi enim semel illa in unum coniuncta catena perfracta erat, in sua quisque novitate novas inveniebant novitates, quae aliarum iterum fons erant. Sic ex una Reformatione tot tamque diversi prodibant Reformatores, qui omnes caelitus se missos esse asseverabant, cum alius alium vocitaret damnabilem, damna-

Digressio de erroribus Reformatorum.

(1) Iustus Modersohn, Germanus, n. Monasterii 1637, parochus Amstelodami 1665. Prot. Ap.

tum, leonem, canem, quodcumque demum foedum esset. Hinc tot tamque diversae atque perturbatae Synodi, quae non solum sententias Reformatorum suorum damnarunt, verum etiam illud ipsum reiecerunt, quod in praecedenti Synodo tamquam dogma affirmarant. Quae omnia pulcherrime ex eorum ipsorum epistolis scriptisque demonstrantur a magno illo Bossueto, in opere *Variations des Eglises Protestantes*. Sed de his iam nimium; condona, quaeso, mihi digressum et meram in eo vide animadversionem, quae scribenti mihi incidit sicque ex calamo effluxit. — Iam ad rem. Omnis dubitatio tua inde provenit, quod in voce מֵרוּחַ verbum vidisti, cum nihil aliud sit nisi substantivum רוּחַ spiritus, cui adiungitur מ quo significatur *ex*: « ex spiritu ». Vide modo tabellam praefixarum apud E. Soesman (1), p. 41. « At, inquis, ibi invenio, id locum habere, quoties ad sequentes litteras adhibeatur « dagesch »; praeterea in exemplis eo allatis video מ punctatum per ֶ. Iam vero neutrum in מֵרוּחַ locum habet ». En ipse Soesman hanc tibi difficultatem solvet pag. 23. Verto ergo sic: « Scriptura, id quod (est) *ex spiritu Dei* ». Verbum *est* in Hebraeo sermone non inveniri, non est cur explicem; hoc tibi ex usu satis notum est, praeterquam quod nosti huiusmodi omissionem apud Latinos etiam et Graecos valde usitatam esse.

Interpretatio continuatur.

5. — Quaeris quid sentiam de pronuntiatione litterae *j* in Latino sermone. Mihi autem videtur dubium esse an littera *j* fuerit; immo puto eam certo *non* fuisse, sed vocalem *i*, cum aliam praecederet, sonum consonantis accepisse, sicuti *u*. Quod sane efficitur ex illis vocibus, quae ex Graeco in Latinum sermonem transierunt. Certissimum enim est, meo quidem iudicio, litteram *j* Graecis ignotam fuisse. Quod si verum est, neque dubitari potest, quin e graeco Γαῖος (attende accentum ˜) factus sit *Kaius*. Quis vero idcirco dicat *Casjus*? Sic *etiam* Ἰησοῦς *Iesus*, non *Siesus*. Ita autem revera factum esse, celeri dico pronuntiatione litteram *i* tamquam consonantem esse usurpatam, hancque consonantem unam eamdemque mansisse quam *i* vocalem, apparet e. g. ex voce *arietis*, quam poetae modo ut disyllabum modo ut trisyllabum in versibus usurparunt. Neque refert quod syllabam, quae vocalem, ut consonantem usurpatam, praecedit, producebant; id enim ipsum necessario ex pronuntiatione sequitur. — Quod si igitur littera *j* locum non habuit, facile assentieris, ab iis qui *Ioseph* dicunt multo melius proprietatem vocalis proferri, quam ab iis qui pronuntient *Sjoseph*. Nemo enim, ut puto equidem, loco *a*.

De littera j in sermone latino.
Non videtur umquam pertinuisse ad alphabetum latinum neque i longa umquam pronuntiata est sj.

---

(1) Auctor grammaticae Hebraicae (Amstelodami), quae ea aetate ubique fere in usu erat.

ri. es. aut *ar. ies,* dicet arsjes. Nuper autem dubium mihi obortum est. Cogitabam legens graecum vocabulum ζῦγον, fieri potuisse ut ab eo provenerit *jugum;* quod si verum esset, ita putabam, *sjugum* maiorem congruentiam haberet. Sed ulterius cogitavi atque comperi, ζῦγον a ζεύγνυμι venire, quemadmodum jugum a jungo; iam, utrum *jungo* originem habeat a ζεύγνυμι manet dubium adhuc, cum priores rationes, tanquam fundamentis nixae, videantur certiores esse. Equidem rationem nondum novi, quare pronuntiationem meam *iustitia* mutarem *siustitia.* Ceterum « *in linguis mortuis, qualis olim fuerit pronuntiatio, plane definire non licet; saltem magna verae et antiquae pronuntiationis pars incerta est et dubia* ».

Prudentia et circumspectione **opus** est ei qui publice iura civium defendit.

6. — Mandata tua de RR. Patribus Groenen [1] et Beckers implevi; huic etiam de Eminentissimo Cardinali narravi [2]. D. Landseer in carcerem inclusum esse iam audiverat. Dixit, se quidem id non miratum esse, quum vir ille se valde invisum praestitisset neque, quo tempore pax maxime servanda fuisset, acerbe dicere et scribere destitisset de rebus quae, etsi verae essent, cum quadam tamen circumspectione proferendae fuissent. Certum profecto est, inquit, veritatem reticendam non esse, at verum quoque est, si cum utilitate verba fieri nequeant, eaque maiorem tantum exacerbationem animorum atque perturbationem vix restitutae pacis et tranquillitatis efficiant, eum semper melius facere, qui aliquatenus se accomodet et meliorem dicendi occasionem exspectet. — Uterque Pater te salutat tibique de tua in se observantia gratias agit. — Navicularum fabro mandatum tuum notum feci [3].

Laudat catechesim ab amico habitam.

7. — Postremo gratias ago quod tam humane catechesim tuam mecum communicasti. Videris mihi perbene usus esse occasione praeparandorum animorum ad Festum Annuntiationis Beatissimae Virginis Mariae. Partem sermonis Bourdaloue, quam mihi commendasti, te auctore legi; revera digna est quae *pulchra* dicatur. Omnium maxime ille mihi placuit locus, quo ostendit, eum qui in summo loco positus sit, humilem esse posse, et qui in humili condicione vivat, superbum. — Si bene conicio, brevi iterum sermonem habebis; spero te non obliturum esse ex ista mecum aliquid communicare. Dices: « tua prior promissa imple! » Ita, amice, sed vides epistolam iterum satis longam

De sermone quodam Bourdaloue.

---

(1) P. Henricus Groenen anno 1803 una cum P. Beckers Societati Iesu, in Alba Russia persistenti, nomen dedit. Eidem Patri a. 1806 moderator Ecclesiae de Krijtberg successit. Ob. Amstelodami a. 1814. Cfr. adn. p. 52.

(2) Ioannes Henricus Comes von Franckenberg, S. R. E. Card. et archiep. Mechlinensis, quum iura Ecclesiae praeclare defendisset e Belgio exire coactus, exsul d. 5 Sept. a. 1802 Bredam advenerat, ubi duobus annis post diem supremum obiit. (1726-1804).

(3) Cfr. epp. I et II.

esse factam atque scribendi tempus fere praeterisse; nam etsi ad octo dies feriae sunt, satis tamen etiam habeo quod faciam. Nihilominus, volo scribere aliquid, quo ius dicendi recuperem. De meditationibus (1) narrare omitto, eo magis quod Festum Glorificationis (2) Iesu Christi interdicere videtur, ne humiliatum Christum quis nunc praedicet. Hoc igitur ad aliud tempus reservo, ita tamen ut aliquando certo rite proferatur.

Promissum scribendi aliquid de sermonibus quos audivit solvet.

8. — Scito, R. P. Groenen aliquamdiu tam mala et infirma valetudine usum fuisse, ut in nostro templo haud plus una meditatio per totam Quadragesimam ab eo habita sit. Atqui, nosti in illo templo operam sufficere, immo nimiam esse duobus sacerdotibus bene valentibus. Quid igitur fieret si soli P. Beckers sacerdotalia ministeria hoc Paschali tempore obeunda essent! Hic igitur ea prudentia usus est, ut ad se acciverit Patrem quemdam de Fratribus Minoribus, nomine Wijlands, Cliviensem uti audisse mihi videor. Qui quidem primo praelegit voce valde obscura ideoque visus est in contionibus habendis haud magno fore subsidio. Verum aliter experientia docuit. Nam heri sermonem habuit, qui, ut modum dicendi omittam, ad materiam quod attinet et etiam ad verba, quibus usus est, omni ex parte absolutus fuit.

Cum R. P. Groenen in morbum incidisset R. P. Beckers accivit R. P. Wylands O. F. M.

Textus eius erat: O stulti et tardi corde ad credendum! Luc. c. 24 v. 25. Postquam in exordio dixit, sua ipsorum incredulitate Discipulos hanc mitissimi Iesu reprehensionem contraxisse addidit, optandum quidem fore ut nostris diebus increduli non invenirentur, at eorum numerum, eheu! hodiedum absque numero esse. Sermonem divisit in tres partes: prima tractaturus de iis erat, qui omnino non credunt, secunda de iis qui credunt sine sufficienti fundamento, tertia de iis, qui credunt, at secundum fidem non operantur. In prima demonstravit contra Atheistas et Deistas exsistentiam unius Dei, veritatem revelationis, necessitatem Religionis. In secunda ostendit, Neotericos fundamentum Fidei non habere, eo quod infallibilem iudicem in controversiis Fidei et in interpretanda S. Scriptura non agnoscunt. In tertia parte eos spectavit, qui ipsi se Catholicos esse dicunt et credere quae credit Ecclesia Catholica, quin operibus fidem profiteantur. Contra hos demonstravit, fidem eorum esse fidem mortuam, sicuti corpus sine anima. Ad id locum aliquem citavit ex Iacobo, alterum ex Paulo, dein dixit, Salvatorem ipsum ita docuisse tam verbis quam factis; verbis, cum diceret: Non omnes qui dicunt mihi Domine, Domine! etc., factis, cum ficui infructuosae malediceret. Quam symbolum es-

Contionem R. P. Wylands de Fide Catholica in atheistas deistasve, in haereticos, in malos catholicos summatim exponit.

(1) Meditationes de Passione Christi quae per quadragesimam haberi solent.
(2) Festa Paschalia.

se ostendit fidei, quae charitate non operetur, etc. Verbo, ita fecit, ut *Paterculorum* (1) inimicis hic *Paterculus* sane audiendus fuisset.

Mandata, salutationes.

9. — Modo oblitus sum scribere, Vid. Tetroodt dixisse mihi, libros tuos nondum venditos esse idcirco, quod rei occasio nondum se obtulisset. Ceterum se pro certo affirmare iam posse, fore ut modicam pecuniam redderent, eo quod pleraeque comoediae essent. Huic adiunctam tibi mitto epistolam Domini Schrant, in qua illud invenies, quod dudum promisi (2). Velim, id ad me remittas cum ea, quam a te cupidus prospecto.

Finem impono, quia hora est. Pascha beatum tibi precatus, quod etiam parentes mei faciunt, commendo me precibus tuis constantique amicitiae, dum maneo

Tuus benevolus atque devotus amicus
I. P. ROOTHAAN
L. H. S.

ARCH. SOCIETATIS IESU, BRUXELLIS, 450. 7 (*Versio ex ling. neerl.*).

VIII. AD IOANNEM GILLES

1. *De responso amici.* — 2. *De littera Thau Samaritana et de interpretatione Ez. 9, 4.* — 3. *De Seminario Warmundano.* — 4. *De Coadiutore R. P. Beckers.* — 5. *Quid sentiendum sit de voce: « qui vult finem vult et media ».* — 6. *Meditationem R. P. v. d. Idsert perscribit.* — 7. *Late disputat de aliquibus locis e meditationibus R. D. Offerman.* — 8. *Salutationes, mandata.*

Amstelodamo, 25 Mai. 1803

Care amice.

Gaudet de responso a Gilles accepto, postquam libri empti allati sunt.

1. — Desiderium noscendi an fascis librorum nuper a me ad te missa, recte pervenisset, effecit ut epistulam tuam magno cum gaudio acceperim. Quod gaudium singulariter augebatur et confirmabatur, cum in ista epistula legerem, quantam, allatis libris, perceperis delectationem. Syngrapham commutavi apud Dominam amitam tuam, prout me facere voluisti. Porro noli dubitare de obsequio, quo in posterum Catalogos, quibus opus sit, mittam. Si id omitterem, de nostra amicitia detraherem atque mutua benevolentia.

(1) Quo nomine ioculari sacerdotes regulares per ludibrium saepe designabantur.

(2) Ordinem diurnum in Seminario Warmundano usitatum. Cfr. epp. III et VIII.

Gaudeo quod vocem מֵרוּחַ et plenum Hebraici loci sensum iam bene perceperis. Quod adnotasti de utilitate, qua variae versiones Bibliae comparentur, verissimum est; perbene animadvertis, etiam Septuaginta hac in re summo usui esse. Fieri potest ut hebdomada proxima eam pro te emam.

De utilitate variarum versionum S. Bibliae.

2. — Quaeris, quaenam forma fuerit veteris Thau Samaritanae quo melius locum Ezechielis interpreteris. Res est, quae paucis quidem verbis quaeratur, verum cui haud aeque cito respondeatur! Primum igitur ingrediamur in sacrarium Hebraeorum, ibique ad tempus notitiam Vulgatae et aliarum versionum seponentes velum removeamus, percepturi quid Propheta loqui videatur, ut sic investigandis atque comparandis versionibus *Vulgatae, Septuaginta,* SS. Patrum cum nostra, locus nobis fiat magis perspicuus quam nunc esse videatur. Iam audio Ezechielem cap. 9. v. 4. sic dicentem: וַיֹּאמֶר יְהוָה אֵלָו עֲבֹר בְּתוֹךְ הָעִיר בְּתוֹךְ יְרוּשָׁלָםִ וְהִתְוִיתָ תָּו עַל־מִצְחוֹת חָאֲנָשִׁים׃ i. e. interpretatione ad verbum facta: « *Et Dominus dixit: Transi in medio civitatis, in medio Ierusalem, et signabis signum in frontibus virorum, etc* ». Nota bene: « signare signum », quia תָּו derivatum est a verbo תּוֹת quod hoc ipso loco adhibetur pro *signare.* Iam audiamus, quo modo Septuaginta illud intellexerint. Καὶ εἶπε, δίελθε μέσην Ἱερουσαλήμ, καὶ δὸς σημεῖον ἐπὶ τά μέτωπα τῶν ἀνδρῶν etc. Δὸς σημεῖον praeter exspectationem meam cum mea (versione) satis bene convenit. Quomodo autem *Vulgata? Et dixit Dominus: Transi per mediam civitatem in medio Ierusalem, et signa thau in frontibus virorum* etc. An bene video? Differentia est inter meam versionem et Vulgatae. Num תָּו hic etiam simpliciter designat signum ultimae litterae? Ast mihi non videtur! Etenim tum nomen litterae non esset plene scriptum, sed solum ibi ת posita fuisset, quandoquidem, si in nostra lingua dicere volumus, cuipiam datum esse signum litterae F, nunquam scribimus: *signatus est per effe,* sed *signatus est per* F. Proinde manet differentia inter meam et *Vulgatae* versionem. Quaenam illa differentia est? Tantum haec quod ego vocem תָּו pro *substantivo,* illa eamdem pro nomine proprio habuit. Illa ex Ezechiele intellexit, in fontibus littera תָּו esse notandum, ego aliquo signo indeterminato. Fateor autem me in mea sententia non parum esse confirmatum, cum Septuaginta inspicerem. At merito quis temeritatis me accusaret, si quod ipse sentio interpretationi Vulgatae et iudicio tot magnorum virorum doctrina et pietate praestantium praeponerem. Ergo, sic esto: τὸ תָּו signatum erat. Iam huc redit quaestio, quid tandem hoc תָּו significetur! Habebitne quis illud pro nomine ultimae litterae? Age, tentemus. Quid tum signum? Nimirum: ת. Atqui plerumque

Respondet quaestioni de littera Thau et de interpretatione Ez. 9, 4.

Signandine erant viri Hierosolymitani *littera* Thau an *signo* quodam a littera distincto?

Textus Hebr. et Sept. differt a textu Vulgatae.

Solutio difficultatis: signandum erat littera, sed littera quamdam imaginem crucis refert.

id explicant accommodatione facta ad Crucem, quae quidem hac littera perbene fieri videtur. Nam ת aliquomodo habet patibuli formam; iam crux et patibulum fere idem sunt, quod ostendit Lipsius, *de Cruce*. Praeterea saepissime *crux et patibulum* mutantur inter se atque ipsae Ecclesiae orationes interdum pro « *crux* », *patibulum* habent. Hoc alterum significat (hollandice) galg, sic in oratione Dominicae II post Pascha et quae sequuntur hebdomadum in *Commemoratione de Cruce,* verba « crucis patibulum » significant « de galg van het kruis ».

Digressio de littera Thau. Fueruntne olim eius variae figurae, Samaritana, Chaldaica, Hebraea?

At quaeri ulterius potest an signum hoc ת revera signum sit istius litterae Thau, de quo Ezechiel dicatur loqui? Mihi ita esse videtur. Etenim aliud Chaldaicum, aliud Samaritanum Alphabethum traditum est neque solum illud usitatum Hebraicum nostrum. Esto, at dicunt, Esdram in colligenda S. Scriptura Chaldaicis litteris uti potuisse, quo si usus esset, istam Thau (ת) non esse Thau Ezechielis, sed Chaldaicam. At quodnam tunc est Chaldaicum Alphabethum, quod etiamnum nobis ostenditur? Num igitur duo Chaldaica sunt Alphabetha? An forte Samaritani priscas litteras Hebraicas retinuerunt? verum etiam hae ostenduntur diversae, nosque aeque parum duo Samaritana quam Chaldaica duo novimus Alphabetha. Iam paulisper ponamus, apud Ezechielem significari aliud quid ac nomen ultimae litterae. Potestne etiam tum תָּו significare crucem? Agedum, investigemus. Syriaca versio hic habet, ut mihi scripsisti ex Patre a Lapide, *signa crucem;* en 1^m^ Argentum. —

Tribus argumentis demonstratur littera Thau significari crucem.

In Psalm. 78, apud nos 77, v. 41 legitur: וּקְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל הִתְווּ : i. e. in nostra versione, et *sanctum Israelis signaverunt.* Sed quanto melius esset sensui congruum, *crucifixerunt,* quod Vulgata nostra libere vertit *exacerbaverunt.* Adde Septuaginta, qui sic habent: καὶ τὸν ἅγιον τοῦ Ἰσραὴλ παρώξυνον; en 2^m^ argumentum. Secundum adnotationem Auctoris illius, qui *Iudaicas epistolas* edidit contra Voltaire, plurimae sunt Hebraicae litterae, quae revera tale nomen gerunt, quale litterae forma ostendit. Quod cum ita sit, merito potest hisce litteris addi τὸ ת, quod patibulum vel crucem designans simul etiam nomen תָּו « crucis » gerat. — Iam sive תָּו apud Ezechielem *crucem* intellego sive tantum nomen litterae ת invenio, sive illud simpliciter et indefinite verto « *signum* », nulla harum trium interpretationum me impediunt, ne illud conferam ad praecepta moralia ad quae tot SS. Patres id contulerunt. Si enim ponimus, thau qualecumque demum fuisse *signum aliquod,* possumus etiam tunc optime signum illud visionis Ezechielis cum Cruce comparare (non minus bene quam comparari potest signum, quo domus filiorum Israël in Aegypto distinctae sunt) et dicere: *sicut signum in visione Ezechielis salus erat gementium virorum illorum, ita*

Quidquid est, sensus accommodatus in omni versione integer manet.

etiam hoc S. Crucis (signum) *est signum incolumitatis atque redemptionis Christianorum.* Equidem (salva meliore) nequaquam alienus sum ab opinione hac textus accomodatione, iam a primis Christianis facta, aliquam quidem ansam dari potuisse ut hoc loco תו verteretur Thau, eo minus quod Septuaginta, quasi inconscii accomodationis huius mysteriumque S. Crucis ignorantes, simpliciter quoque verterunt σημεῖον signum. En, care amice, quod ad tuam quaestionem respondendum habeo. — Samaritana littera alia non est ac invenisti : א. Quod mihi dixit Dominus Boele, qui etiam confirmavit, nobis non plus quam unum Hebraicum, unum Chaldaicum, unum Syriacum Alphabethum notum esse. Eo auctore Hebraicam deinde bibliam evolvi, id quod tum nondum feceram, quia litterae tuae vix ad me allatae erant.

Coniectura de origine dissensionis.

3. — Video te epistulam Domini Schrant [1] attente legisse, (quamquam ἄνευ προοιμίου καὶ παθῶν non est *sine praefatione et offensus,* quia παθῶν coniugendum est cum ἄνευ et est genitivus τοῦ πάθους, non partic. aor. 2 παθῶν. Ἄνευ προοιμίου καὶ παθῶν est igitur : *sine praevia conventione et sine passionibus,* v. g. sine ira, odio, praeiudicio, alia quapiam animi passione). Iusta est animadversio tua de praedicatione, catechesi, notitia cantus choralis. Novi primam singulis dominicis fieri. Quod ad cantum attinet, puto me a Domino Schrant vel ab alio ex ipsius ore audivisse, aliquibus quidem hebdomadae diebus scholam haberi, sed non quotidie; de catechesi audivi adhuc nihil. Est tamen haec res maximi momenti, non minoris mea quidem opinione quam praedicatio. Ubi primum occasio se offeret, ea de re Dominum *Schrant* interrogabo.

De ordine diurno Warmundae observando et de exercitationibus theologorum.

4. — Pater ille, de cuius contionibus tibi narravi, iamdudum hinc profectus est. Non credo eumdem esse, quem aliquando obvium habueris apud R. P. Beckers. *Wijlands* [2] noster alius est atque *Wijnands* [3] quidam neque puto, eum antea iam singulariter notum fuisse Patri Beckers, quemadmodum patrem, cum quo egeris.

R. P. Wylands profectus est.

5. — Gaudeo, quod in feriis non adiisti Antverpiam sed Buscoducum ambulasti, ut Seminarium viseres haberesque occa-

Gilles ne militare cogeretur, Buscoducum iter fecit.

---

(1) D. S. qui in Seminario Warmundano theologiae operam dabat, ordinem diurnum ibi praescriptum, quem se missurum esse promiserat (cfr. ep. III), cum Roothaan communicavit, qui eum ad Gilles inspiciendum dedit. Qui cum minus bene et, ut videtur, etiam minus recte de illo seminario sentiret (cf. ep. II), amicus haec verba Graeca attulerat, quae quidem G. non intellexisse videtur.

(2) Cfr. ep. VII.

(3) Pater Wynands O. F. M. Amstelodami praefuit ecclesiae in Breedstraat; amicus R. P. Beckers, qui i. a. ei 18 maii 1802 stipendium 300 fl. dedit subsidio quorumdam monasteriorum externorum Ord. S. Fr.

sionem colloquendi cum Domino van Gils [1]. Gratissimum mihi feceris, si quando de isto colloquio mihi quidpiam narraveris. Iam iterum apparet, haud semper verum esse, eum qui finem velit, necessario etiam media velle. Etenim gaudeo equidem quod Buscoducum ad Dominum van Gils ambulasti, sed ideo non gaudeo, (avertat Deus) quod requisitio humanae carnis in Brabantia [2] denuo floreat([3]). Posterius autem medium est prioris. Hic opportune intercedit Metaphysica, quae docet, ubi media aliunde adhibenda sint, sufficere si haec non impedias. Hac etiam ratione solvi potest id, quod aliquando obicitur: Deum volentem Ioseph in Aegypto ad altissimos honores provehi, etiam voluisse eum a suis fratribus vendi, quae certe terribilis est blasphemia, cum ita fere dicatur, voluisse Deum quotquot peccata fratres Ioseph tum commiserint. Absit! Ille ista non *voluit,* sed sicut omnia alia peccata, modo fieri *sivit.* Id satis fuit, nam si media aliunde sunt adhibenda, sufficit ei qui finem velit haec non impedire. Revera haec philosophiae pars momentum maius habet quam quod aestimari potest, quam ob causam totam *Metaphysicam Lovaniensem* transcripsi. Iam transivi ad *Ethicam,* de qua idem Dominus *De Witt* benevole mihi dictata sua commodata dedit. Hac quoque brevi disputatione res gravissimae tractantur.

Digressio de causa directa et indirecta.

Ethicae operam dat.

6. — Ad postremam epistolae partem perveni. Recte itaque conieci, fore ut brevi iterum sermo habendus tibi esset; id praestandum erit postridie Festi Corporis Christi. Tibi semper contingere videtur, ut in ordine sermonum locum sortiaris brevi post sollemne aliquod, quem ad modum ultimus catechizandi locus tuus talem diem festum proxime antecessit. Quodsi interim iam non scribam, auxilium S. Spiritus, a cuius subsidio bonus pendet eventus, tibi precari non omittam. Praeterea peto ne obliviscaris... At vocem audio, conscientiae vocem, quae mihi inclamat: « Nondum petendi ius habes ». Revera conscius mihi sum, debitorem me esse. Esto, debitum solvam; promiseram enim me unum aliudve, quod ex meditationibus per ultimum Quadragesimale tempus habitis retinuissem, tecum communicaturum. Id ergo nunc faciam, quamvis epistola absque hoc iam satis longa sit.

Precatur G. bonum concionis successum.

Promissum solvet priusquam de hac contione percontatur.

Incipio a Patre *van den Idsert,* [4] qui, quod forte scis, per

---

(1) Antonius van Gils, sacerdos, praeses Seminarii Maioris, unus e primis emancipatoribus, qui dicuntur, Catholicorum in Neerlandia.

(2) Brabantia meridionalis seu *Belgica.*

(3) Agitur de conscriptione a Napoleone indicta, ut bella continuare posset, quae causa fuit ob quam Gilles Antverpiam reliquisset.

(4) R. P. Theodorus van den Idsert O. F. M. Amstelodamensis (1747-1819), per multos annos Amstelodami strenuus operarius in eccl. « De Boom ».

hanc Quadragesimam coram populo meditatus est. Non est cur tibi dicam, hunc Patrem, etsi dictione paulum mirum, ad rem ipsam quod attineat, saepe praeclare cogitata eloqui. Non est, inquam, cur tibi dicam, qui id ipse non semel animadverteris. Haec sermonum eius proprietas etiam hoc anno prodibat. Vere affirmare possum quo tempore in ecclesia « De Boom » meditationes audiverim nullum praedicatorem mihi tantum placuisse, quantum hoc anno Patrem *Van den Idsert.* Non dubito quin, si orationes cum aliquanto maiore decore atque verbis venustioribus purioribusque pronuntiaret, inter primos praedicatores civitatis huius haberetur. Aliquoties tanta fuit persuasionis vis, ut vel lapidea corda commoverentur, qualis in una ex posterioribus meditationibus, in qua dolores Sanctissimae Virginis ad Crucem stantis vividissimis coloribus depinxit. At, eheu! absoluta meditatione tam apta ad animos permovendos, fuere qui ex templo exeuntes orationis argumento tam parum commoti essent, ut ridentes tanquam insani per viam irent, gaudium inter se facientes numerandis verbis aliquot coniunctionibusque, quae haud recte Pater ille adhibuisset. Quod sane dolendum est, sed quamquam libenter credo, homines sine bona animi praeparatione in templum introisse, tamen nequaquam dubito, quin sermones magis essent commoturi, si tam exterius quam interius pulchri essent. Certe tum homines oratorem sacrum talibus cavillationibus afficere non possent neque saltem, etiamsi ipsi non emendarentur, irridendi occasionem haberent. Quo mihi demonstrari videtur, sacerdotem, qui quidem orator sit oportet, debere operam dare eloquentiae, qua obviam eat debilitati hominum, qui libenter coniunctum videant utile dulci.

De dicendi genere R. P. v. d. Idsert.

Orator sacer pulchre cogitata etiam pulchre eloqui debet.

Textus eius erat: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi miserans.* Ierem. XXI, 3. Qui textus aptissimus mihi videtur meditationi de Passione. Iam duo pulchre cogitata ex meditationibus eius tibi proponam, quae memoriae inhaeserunt; memoriae, dico, nam tempus et occasio per Quadragesimam mihi defecerunt, ut quid in libellum referrem.

Duo puncta e meditatione R. P. v. d. Idsert desumpta.

Primum, de Christi agendi ratione ante Passionem disserens, monuit, Christum ad orandum in solitudinem se contulisse et tres socios, Petrum, Iacobum, Ioannem Secum duxisse; tum allata prius ratione propter quam Christus illos elexisset, pulcherrime, mea quidem opinione, hanc narrationem vitae christianae accomodavit. Ait enim hic dari exemplum, quo quis ad mortem se praeparet: primum morituro necessariam esse solitudinem, secundo orationem, tertio comitatum trium sociorum, qui a Petro, Iacobo, Ioanne repraesententur, trium virtutum theologicarum Fidei, Spei, Caritatis, quarum Fides a Pe-

1º Oratio Christi in solitudine facta, assistentibus tantum Petro, Iacobo, Ioanne.

tro, Spes a Iacobo, Caritas a Ioanne significetur. «Novi equidem, inquit, etiam id quod vidua Sareptana haberet (3 Reg. XVII, 12), comparari cum eo quod moriturus habere debeat: *pauxillum panis* ipsum esse *St. Altaris Sacramentum,* (non quod panis sit, sed quia fuerit panis et speciem panis habeat etiamnum); *pauxillum olei, St. Sacramentum Unctionis; duo ligna, Crucem Christi.* At etiam novi, absque virtutibus Fidei, Spei, Caritatis, sine quibus nec solitudo nec oratio cuiquam prosint, neque duo illa Sacramenta neque Christi Crucem esse profutura». De quibus porro amplius disseruit.

2º Arundo Christo arrepta Pilato tradenda.

En alterum. Posteaquam meditatus est quomodo Pilatus, qui tot documenta, quibus ei de innocentia Iesu persuaderetur, accepisset, quique ipse Iesum esse innocentem declarasset, tamen illum capitis damnatum traderet ut crucifigeretur, ei arundinem, manui Iesu profecto tum arreptum, dari fecit, memoriam atque imaginem debilitatis et mutabilitatis animi eius. Venuste dictum et subtiliter ex quo apte fructum aliquem cepit.

E meditationibus R. D. Offerman.

7. — Iam transeo ad locos quosdam ex meditationibus Rev. Domini Offerman, (¹) quem aliquoties audivi.

1º Io. 18, 36.

1.) De textu: *Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si de hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudaeis, nunc autem Regnum meum non est hinc.* Ioann. XVIII, 36. De quo ille, postquam ostendit, quam mite atque tranquille responsum esset a Iesu ad asperam Pilati quaestionem: *Quid fecisti?* dixit, praeter complures alias res pulchras, Iesu regnum in terris esse S. Ecclesiam, idque etiam inter Protestantes constare. Inde ansam sumpsit hisce persuadendi, eorum communionem regnum Christi esse non posse. Cum itaque demonstraret nullum regnum subsistere posse sine legislatoribus nec sine interpretibus certis atque tutoribus legum, simul ostendit, horum nihil in ecclesia Protestantium inveniri. «Profecto, inquit, multa Concilia habita sunt, Remonstrantes in Synodo Dordracena damnati sunt. At quod tandem ius Dordracenae Synodo ex ipsorum institutis erat, quo Remonstrantes damnarent? Synodus statuit Reformatam Ecclesiam esse veram ab eaque Scripturam rite intellegi. At, nonne Remonstrantes idem dicere poterant, secundum dogma quo putant, unumquemque ad interpretationem S. Scripturae esse idoneum neque exsistere omnino qui decernat infallibiliter? Nonne igitur Remonstrantes quoque eodem iure Synodum Dordracenam eiusdemque asseclas damnare potuerant?... Quanto ergo feliciores estis vos, filioli mei, (inquit), qui eius

Regnum Christi est eius Ecclesia.

Communio Protestantium non est Ecclesia Christi, cum auctoritas legitima desit.

(¹) R. D. Ioannes Offerman Amstelodamensis (1755-1811), primum sacellanus in eccl. «De Posthoorn», dein parochus in eccl. «Het Duifje»; capit. Harl. canonicus.

Ecclesiae membra estis quam infallibilem esse creditis, cuius infallibili testimonio ea dogmata admittitis, ad quorum disquisitionem vosmet ipsos haud idoneos esse nostis, in cuius gremium vos, tanquam infantes in sinum matris suae, securi reclinatis ». Quid tibi videtur? Nonne suave est audisse talia uberius explicata a praedicatore qui eloquentia excellit? Eiusmodi controversiae materias tractari mihi valde utile esse videtur, his praecipue diebus, ut Christiani in fide confirmentur.

2.) De textu: *Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu?* Respondit Iesus: *Tu dicis quia Rex sum ego; Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati,* Ioann. XVIII, 37. Primum in exordio dixit gentilium virtutes fuisse plerumque apparentes tantum, quasi passivas virtutes, cum gentilis saepe iustus, mitis, clemens esset, quamdiu voluptates eius, quamdiu sensus et cupiditates non offenderentur; eumdem vero gentilem contra iniustum fuisse, crudelem, iracundum, quoties eius cupiditatibus adversaretur. Cuius velut exemplum vidit in Pilato, qui post accusationem in Iesum factam quod dixerat se esse regem, ratus eum potestati suae obfuturum, cum asperitate quadam rogavit: *Quid fecisti?* cum idem statim placatus sit, immo splendidum de Iesu innocentia testimonium dederit, cum audivisset regnum Iesu sibi non nociturum. Post praeviam animadversionem hanc dixit, in verbis Textus testimonium inveniri de Iesu Divinitate; cum enim in Passionis historia et multo minus in verbis ipsius Salvatoris inutile aliquid inesse nequeat, hoc tamen loco a Iesu bis idem dictum esse videri. « Nam, ait, « *Ego in hoc natus sum* », et « *ad hoc veni in mundum* » nonne significant idem? Ergo dicendum est, verbis: « *ego ad hoc natus sum* » suam a Iesu Divinitatem indicari, dein dicendo: « *ad hoc veni in mundum* » incarnationem: *natum se esse* ab aeterno ex Patre, *in mundo se venisse,* descendendo de caelo et humanitate suscipienda ex puro corpore Sanctissimae Virginis Mariae ». Denique ex verbis « *ut testimonium perhibeam veritati* » ansam sumpsit ad confirmandam contra fratres nostros qui tam longe errant, veritatem testimoniorum i. e. traditionis christianae. Ostendit Christum ubique de testimoniis loqui: 1 hoc loco, 2 cum Apostolis diceret *Vos eritis mihi testes,* 3 cum in caelos ascensurus eis mandatum daret. (apud Marc. XVI, 15) *Euntes - praedicate.* Nullibi eos scribere iubet. Dein, quid Apostoli ipsi fecerunt? Scripserunt, verum est, sed tantum quando res exigere videbatur, neque in ulla eorum epistola integram invenies vitae christianae regulam. Ne ipsam quidem Fidei quasi Summam sive Symbolum, ut ipsi quoque Protestantes agnoscunt, in S. Scriptura invenire est. Immo S. Scripturam non cognosceremus, nisi traditio doce-

2º Io. 18, 37.

De virtutibus gentilium.

Textus affirmat Divinitatem Iesu Christi.

Traditio christiana contra Protestantes confirmatur.

ret, hunc et hunc librum esse S. Scripturam. Pulcram orationem sic conclusit: « Nonnulli fratrum nostrorum aegre tulisse videntur, quod aliquoties in sermonibus controversiarum, qui dicuntur, moratus fuerim. At nemo id in malam partem habeat; ad hoc ego natus sum, ad hoc ego in mundum veni, ut testimonium perhibeam veritati ».

Brevis disputatio de loco Mth. 26, 50.

Praeterea aliquid de verbis a Christo Iudae dictis: *Amice ad quid venisti?* Proximo quadragesimali tempore scholasticum, quem pridie vespere meditationes R. D. van der Lugt (1) audisse noveram, rogavi quid orator tractavisset. Respondit eum concionatum esse de verbis Christi *Amice, ad quid venisti?* » de quo argumento, inquit, multo pulchrius disseri potuisse mihi videtur quam ille fecit. Quomodo tu haec verba accipis? » Respondi equidem « *Amice, ad quid venisti* idem valet ac ad quid te abripi sivisti, ut Divinum Magistrum tuum ita tradas? » Ad quae ille: « Iam sic ego quoque intellexeram, ait, sed dominus Van der Lugt interpretatus est: « Cur venisti huc? » quod mea quidem opinione non tam bene amplificare potuit, quam si verba ita intellexisset interpretatusque fuisset ut nos ». Cui ego: « Sine, inquam, rem propius inspiciamus neve iudicemus celerius ». Tum Graecam bibliam evolvi ibique sic inveni apud Matth. 26. v. 50 Ἑταῖρε ἐφ' ᾧ πάρεις i. e. *Amice, ad quid ades?* Praep. ἐπὶ cum dat. significat finem aliquem, aliquam intentionem, qua quid fit (Vide Vig. de Idiot. c. IX sect. 4 n. 11 et Hoogev. in Notis). Πάρεις hic est 2 pers. praes. verbi πάρειμι adsum. Apparuit igitur dominum *Van der Lugt* verum dixisse. Quod propterea adnotavi, quia facile in hoc erratur; omnes quos de illis verbis interrogavi, erraverant, quia usitata versio *Amice, ad quid venisti,* quam ceteroquin etiam secutus erat Dominus *Van der Lugt,* errori ansam praebet. Nam *ad quid* potius interpreteris *quo versus, versus quid,* quam *propter quid, cur,* praesertim si verbum veniendi sequitur. Quamquam, quod ad me attinet, existimo utramque versionem ad eumdem finem adhiberi posse, sive vertas *quare venisti,* sive *ad quid* venisti.

Prudenter et considerate iudicat.

Promisso soluto de contione ab amico habendo sciscitatur.

Iam est mihi, quod spero, ius libere dicendi, quod modo interrupi. Peto itaque ne obliviscaris mecum novae contionis tuae aliquam epitomen communicare. Quo mihi gratissimum feceris.

---

(1) G. A. van der Lugt n. Amstelodami a. 1775, primum sacellanus postea parochus eccl. S. Catharinae, praeclarus orator, amicus familiae Roothaan. Ob. Arnhemii a. 1855. Conciones huius piissimi Sacerdotis iuvenem Roothaan tantopere commoverunt, ut memoria eius nunquam exciderint. Die 2 Martii a. 1841 Roma ad fratrem Albertum scripsit: « J'ai été charmé d'apprendre que Monsieur le Curé van der Lugt a célébré un jour chez nos Pères. Si vous pouviez lui faire une fois une visite, et lui présenter mes respects, et lui dire que je me souviens toujours de lui et de ses prédications au commencement de ce siècle, vous me feriez grand plaisir ».

8. — Salutationes tuas Patribus qui in « de Krijtberg » sunt dedi, qui te invicem salutant; Domino Schrant primo quoque tempore eas dabo, item Francisco van der Maesen. Quod autem addidisti: « posse me huic iam aliqua ratione explicare quod scripseris », velim copiosius exponas. Iam finem faciens peto ut longioribus litteris ignoscas. Alias brevior ero. — Parentes mei et Dominus Boele te salutant. Caelesti praesidio te commendo. Vale! nolique mei oblivisci, — Salutationes.

benevoli tui sincerique amici
I. P. ROOTHAAN
Litt. Hum. St.

P. S. - Audivi, naviculam iam esse missam. Estne tibi notum an pervenerit exspectationique satisfaciat?

ARCH. SOCIETATIS IESU, BRUXELLIS, 458. 2 (*Versio ex ling. neerl.*).

IX. AD IOANNEM GILLES.

1. *De litteris quas accepit et quas misit.* — 2. *Accuratius disserit de signo Thau Ezechielis.* — 3. *De libris emptis.* — 4. *Orationem habuit de utilitate linguae graecae; studia litterarum graecarum vehementer amico commendat.* — 5. *Contionem amici laudat.* — 6. *De Seminario Warmundano.*

Amstelodamo, 13 Iul. 1803

Amice honoratissime.

1. — Duae epistolae tuae, brevi spatio altera alteram consecutae, documenta sunt amicitiae et constantiae tuae desiderioque meo praegrandi satisfecerunt. Revera cum dolore quodam responsum ad postremas litteras meas, quae mihi aliquanto scribendi labore constiterant, exspectabam neque est, quare id tantopere mireris, cum merito dubitarem an ad te perlatae essent, quandoquidem multi milites Galli per vias ducerentur ideoque tempora essent valde turbida, quibus facile fieri possit, ut aliquid accidat quod quieto tempore non fiat. Porro « cum dolore desiderare » est modus dicendi quo uti solemus ad significandum desiderium magnum; iamvero ma- — Litterae amici eum metu liberaverunt, ne suae amissae essent.

gno me desiderio responsionis tuae teneri non mirum videbitur, quoniam amico semper gratum est epistolam ab amico accipere. Praeterea responsum tuum ideo maxime desiderabam, ut scirem quid sentires de illa Thau ex visione *Ezechielis*. Huc oportet redeamus ac proinde hanc Thau iterum consideremus.

Quid in superiore epistola de Thau Ez. 9, 4. scripserit.

In Hebr. et in Sept. legitur « signa signum » in Vulgata « signa Thau. ».

2. — De *Ezechielis* igitur c. 9, v. 4 scripseram, in Hebraico textu inveniri « signa signum » idque etiam apud Septuaginta legi. Addideram, meo quidem iudicio, accomodationem de qua ageretur tam huic quam alii versioni congruere. Deinde ponendo תָו pro τῷ תָו legendum esse, dixeram tum intelligi posse:

«Thau» est ultima littera alphab. Hebr. quale etiamnunc novimus, et habet figuram patibuli, crucis.

1° Ultimam litteram ת, quod signum iure referri possit ad crucem, eo quod figuram habeat patibuli et patibulum fere idem sit quod crux. Dein, signum hoc (ת) revera signum esse ultimae Hebraicae litterae, quia Chaldaei proprias litteras habeant neque duo nota sint alphabetha Hebraica nec Chaldaica nec Samaritana. Ex quo collegi, eas litteras, quas nunc in Hebraicis Bibliis nostris habeamus, revera Hebraicas esse, quia si quis diceret Chaldaicas esse, quid tandem esset Chaldaicum Alphabethum, quod nobis ostendant? Utrumque enim Alphabethum fieri non potest ut sit Chaldaicum, nisi duo sunt Chaldaica Alphabetha, Hebraicum nullum. Sequeretur, quodcumque nobis pro Hebraico sermone vendiderint adhuc, merum esse Chaldaicum, proinde Hebraicum in orbe terrarum non inveniri. Non enim aliud notum est Alphabethum Hebraicum, nisi quod in Biblia habemus, neque etiam Chaldaicum aliud nisi quod nobis ostendunt. Quapropter mihi iure conclusisse videor, illud Alphabethum, quod in Biblia habemus, revera esse Hebraicum ac proinde ת esse veram illam Thau Hebraicam. Dicunt ab *Esdra* has litteras in locum esse positas veterum Hebraicarum. Dicunt, at nonne tunc etiam totam Bibliam ex Hebraeo transtulit in linguam illam degeneratam, tamquam quae melius intellegeretur? Puto autem, nobis omnibus ex partibus gravissime asseverari, textum Bibliae sincere Hebraeum esse, atque hunc unum esse verum Hebraeum sermonem, qui in mundo exstet.

Potest igitur verti: signa crucem.

2° « Signa Crucem », mea quidem opinione, quemadmodum teste a Lapide Syriaca versio habeat. Hanc quoque coniecturam feci et quibusdam argumentis confirmavi.

En quae conatus eram demonstrare de Thau Ezechielis. Nunc dicis, difficultatem tuam in eo fuisse atque esse adhuc, quod dicit P. Tirinus S. I. ante tempus Esdrae veram Hebraicam Thau in usu fuisse atque veras illas Hebraicas litteras apud Samaritanos permansisse, te autem formam Thau Samaritanae prorsus aliam invenisse. « Ad hoc, inquis, respondisti mihi quidem aliquid, sed tantummodo interrogative, definitive

Difficultatem, a Gilles ex P. Tirino desumptam, iterum et plenius solvit.

nihil. Non bene percepi, quid his dicere volueris ». Quid! nihil definitive? Quid ergo scripseram? Sine, iam repetam totum! « Estne hoc ת signum illius litterae Thau, de qua dicit Ezechiel? Mihi videtur ita esse; etenim nonne aliud designatur Chaldaicum, aliud Samaritanum alphabethum, at Hebraicum solummodo hoc? Ita, sed dicunt, fieri potuisse ut Esdras in colligenda S. Scriptura Chaldaicis litteris usus sit, proinde illam Thau quae inveniatur (ת), non esse Thau Ezechielis sed Chaldaicam? At quale tunc est Chaldaicum hoc Alphabethum, quod etiamnunc nobis ostenditur? Duone igitur sunt Alphabetha Chaldaica?... An forte Samaritani retinuerunt priscas litteras Hebraicas?... At hae tanquam propriae traduntur, neque (nota bene!) magis duo Samaritana quam Chaldaica duo novimus Alphabetha ». Iam ipse iudices velim, utrum postremum hoc interrogative an definitive dictum fuerit. Deinde in fine meae hac de re dissertatiunculae dixeram: « Samaritana

Si Esdras usus fuisset litteris Chaldaicis, dicendum esset duo fuisse alphabeta Chaldaica. Atqui...

littera alia non est, nisi qualem tu eam invenisti (א). Hoc mihi dixit Dominus *Boele*, qui insuper affirmavit, haud esse notum plus quam unum Hebraicum, unum Chaldaicum, unum Samaritanum Alphabethum »... Nonne hoc est definitive dictum? His omnibus demonstrare volui, illas Bibliae Hebraicas esse litteras, non Chaldaicas; nobis aliud Samaritanum Alphabethum notum non esse nisi quod tu etiam didiceris; nos ergo ignorare litteram Hebraicam Thau quae fuerit T. Spero fore ut iam in-

Tirinus sententiae suae argumentum non attulit.

tellegas, quid dicere voluerim. Quod attinet ad P. Tirinum S. I., qui affirmat Hebraicam Thau olim eodem modo quo Graecam et Latinam, scriptam fuisse: num pater ille huius sententiae etiam argumentum affert? an tantummodo veterum testimonio nititur? Cavebo equidem ne quid detraham de antiquorum virorum doctorum honore, sed si eos sequeris saltem concedere debes, certum esse, illis plura Hebraica vel Chaldaica vel Samaritana Alphabetha nota fuisse quam nobis. Atqui unius tantum generis alphabetha novimus, neque ego neque alius quisquam iure iudicare possumus de iis, quae nunc nota iam non sunt. Ceterum de textu P. Tirini animadvertendum habeo: 1° P. Tirinum dissentire a C. a Lapide, cum ille dicat in Syriaca versione inveniri « *pone signum* », hic (ut mihi antea scripsisti) ibidem legi « *signa crucem* ». 2° Eum dicere: « vertunt *pone signum;* supplendum est additione Thau ». Salva reverentia tanti viri mihi hoc supplemento non opus esse videtur. Si enim vertitur « *pone signum* » de verbo ad verbum ex Hebraeo translatum est neque Thau in eo est locus, quia si תָו intelligitur *signum*, substantivum Thau ne considerari quidem potest. Hanc argumentationem de illo Thau iisdem quibus tu verbis concludo: « Omnia haec dicta sint salva meliore ».

Iam de Hebraeo ad Graecum transire voluerim, sed ne saltus confusionem pariat, prius de libris aliquid nuntiabo.

Librorum emptorum rationem reddit.

3. — Catalogos una cum mandatis reddidi Vid. Tetroodt, quae post venditionem mihi cum libris emptis rationem misit. Eam nunc tibi transmitto. In ratione adnotavi pretia, quibus libros aestimaveras. Eos qui meis sumptibus empti sunt graphio notavi; nomen solvi, ut videbis, et etiam pecuniam aliorum librorum quos pro te emi.

En valorem impensae:

Vid. Tetroodt pro tua ratione	f. 33 -	4 -	„
Eidem pro 3 ex.: *Ecclesia Dei etc.*, quorum in priore ratione mentionem non fecerat .	„ -	18 -	„
Pro: *Luscianarum cultores etc.*	„ -	11 -	„
Pro: *Gr. Rudimenta*	1 -	„ -	„
Pro: *Schrevelius*	„ -	12 -	„
Pro *Nov. Test. G.*	1 -	4 -	„
Pro: *Gedike*	„ -	10 -	„
Pro vectura ad navem et pro assignatione . .	„ -	3 -	„
Summa . . .	f. 38 -	2 -	„

Vides inter hos libros esse etiam aliquot graecos, scholarum usui destinatos. Bene tibi vertat, bene proficiant discipuli tui!

Orationem habuit « de Litterarum Graecarum studio, cuiusvis generi disciplinarum utilissimo », d. 20 Iun. 1803.

4. — Dicere nequeo, quam gratum mihi sit quoties de Graece discendo loquentes audio. Cuius rei quae ratio sit, facile conicias, quia sane plane mihi persuasum est de utilitate linguae huius. Haec persuasio ab aliquo tempore me incitavit ad faciendam Orationem de Litterarum Graecarum studio, cuivis generi disciplinarum utilissimo, quae quamquam iamdudum parata, haberi non potuit ante feriam II 20 Iunii, (1) quo ipso tempore epistola tua, in qua de oratione hac sciscitaris in via erat. Minutatim tibi omnem mittam in singulis epistolis folio inserendo, quae deinde colligare poteris. In hac oratione auditoribus meis potissimum persuadere conatus sum de Graecarum Litterarum utilitate, quae proh dolor nimium ab iis negleguntur, quibus discendi occasio offertur. Revera nemo merito aestimare potest, quid careant qui eam linguam ignorent, nisi qui

(1) Nuntius civibus his verbis promulgatus est: Q. B. F. F. Q. S. — A. D. Lunae qui erit xx Iunii, hora XII, in maiore Athenaei auditorio, Praeside Davide Iacobo van Lennep, I. u. D. et in Ill. Amstel. Athenaeo Hist. Eloq. Poes. Antiq. Litt. et Lat. Professore, Orationem habebit I. P. Roothaan. Amstelodami CIƆIƆCCCIII.

Oratio ingenti omnium assensu plansuque audita est. Cum ceteris scriptis I. Ph. Roothaan in 2a Parte huius operis iterum edetur.

eius utilitatem expertus est. Facile igitur intellegis, quam sit bene et meritorie factum, aliquantum temporis laborisque impendisse, ut alios usum et scientiam doceres linguae, quae tanto adiumento sit omnis generis disciplinae, praecipue theologicae.

Via et ratio docendae linguae graecae.

Equidem, si invenissem aliquem, qui bono ingenio praeditus, ductu meo illarum litterarum studiis operam dare vellet, felicem me haberem laboremque adhiberem omnem, ut illum eo adducerem ubi ipse essem et in illo instituendo hac ratione, ut opinor, procederem. Postquam litterarum notas discendas proposuissem omnium primum a coniugando et declinando inciperem neque desisterem, antequam penitus menti eius inhaesisset. Est enim revera fundamentum, quo totum aedificium niti necesse est; quod si neglegitur, reliquum studium, alias gratissimum futurum, fiet tristissimum, cum cogaris continuo (quantum onus!) ad Rudimenta recurrere, ne in ea menda incidas, quibus Auctorem, quem legis, res dicentem facias, de quibus ne cogitaverit quidem. — Tum accurate aliquas « Partes » faciendas proponerem, donec viderem eas illi bene succedere; qua in exercitatione prorsus dissuaderem ab usu Schrivelli. Quodsi interim mature assuefaceres discipulos etymologiae, id postea illis multum prodesset. — Deinde transirem ad fragmenta, quae Gedike collegit, e. c. ex Aeliano, ex Diogene Laertio, ex Stobaeo, ex Sexto Empyrico, qui auctor in comparandis variis hominum moribus et momenti est maximi et facile intelligitur. Iam interdum initium fieri posset legendi Evangelii S. Lucae vel Actuum Apostolorum, ita tamen ut in locis, quos tractes, in primis ostendas et secernas quid pure et Graece quid Hebraice vel Hellenistice scriptum sit. Ceterum quod hic dixi non est nisi consilium. Ipse facias quod tibi visum fuerit optimum. Idcirca tantum iudicavi mihi haec tecum communicanda fuisse, quia putabam me maiorem huius rei usum habere et quia multos novi, qui Graeco sermoni multam operam dederint, quin vel aliquid vere norint; qui anthologica Gedike ab initio ad finem perlegerint neque tamen Novi Testamenti Caput quodpiam sine *Schrivelio* vel *Clavi linguae Sanctae* vel *Pasoris Lexico* intellegere valeant; qui bonis fundamentis destituti errores committant, quos tirones corrigant. Auctor tibi sum ut cum ad partes vel ad versiones faciendas veneris, animos advertas ad articulum ὁ ἡ τὸ, ad coniunctionem μὲν - δὲ, ad alia plura, quae Vigerus tibi indicabit, ad proprietates seu Idiotismos Graeci sermonis. Si quando in Vigerum « de Idiotismis etc. curante Hoogeveen », incideris, vehementer auctor sum ut eum emas. Plerumque ad f. 1 venit, quod pretium certe maius non est. Si quis enim linguam Graecam accurate cognoscere velit eo, mea quidem opinione, carere nequit. Haec hactenus.

Fundamentum solidum sit, paullatim ad difficiliora adscendendum.

Ceterum amicus ipse videat quid sibi faciendum sit.

Laudat contionem ab amico habitam, potissimum propter optimam eius divisionem.

5. — Cum voluptate legi tuam de Sanctissimo Sacramento pulcrum sermonem, cuius praecipue mihi placuit peroratio. Aptissimum est ad commovendum persuadendumque animis audientium, pulchriores partes orationis vel praedicationis in exordio posuisse et etiam in peroratione, quia quod ultimum audierunt facillime retinent. Id cum ab aliis tum potissimum a Demosthene didici, qui solebat validissimum quodque in initio atque in fine ponere, infirmius autem in medio. Cuius dispositionis vim expertus sum legens orationem eius, qua se contra Aeschinem defendit.

Demosthenis exemplum sequendum est, qui argumenta validissima in initio et in fine orationis posuit.

Qui cum in sua accusatione illam dicendi rationem non adhibuisset, alium omnino secutus erat ordinem, ἠξίωσε δὲ καὶ τὸν Δημοσθένην τὴν αὐτὴν τάξιν ποιήσασθαι. Ὁ δὲ ῥήτωρ καὶ ἀπὸ τῆς πολιτείας τὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο, καὶ πάλιν εἰς ταύτην τὸν λόγον κατέστρεψε, τεχνικῶς ποιῶν. Δεῖ γὰρ ἄρχεσθαι ἀπὸ τῶν ἰσχυροτερῶν, καὶ λήγειν εἰς ταῦτα. Ita Libanius ἐν τῇ ὑποθέσει λόγου τοῦ περὶ στεφάνου.

Iam satis de Graeco; unum addam: ἄνευ προοιμίου καὶ παθῶν... Aeropagitarum fuisse (1). Quid et quo Areopagus fuerit, non est cur tibi dicam. Si propediem doctrina christiana exponenda tibi est, auxilium divinum tibi precor.

Salutationes, nuntios.

6. — Rev. Patres in De Krijtberg et parentes mei te salutant; item Domini Schrant et van der Maesen. Hic tandem aliquando decrevit Theologiae studere; fieri potest ut eat Warmundam. « Novi equidem, sic ille mihi nuper dixit, ibi esse alumnos aliquos, qui pro statu suo minus modeste se gerant; at suam quisque modestiam eo afferat Deumque oret ut eam conservare valeat ». Ex S. Cyrillo libenter aliquid addidissem nisi tempus praeteriisset atque impleta esset charta. Nunc transcribam partem *Orationis* meae.

Vale! memorque esto

Tui devoti sincerique amici

I. P. Roothaan

Litt. Hum. St.

P. S. - Si quando incidas in libros, quos mihi utiles esse iudicas, gratissimum mihi feceris si eos meis sumptibus emeris. Gaudeo quod Antverpiae divinus Cultus iterum sollemniter exerceri potest. Faxit Deus ut ita pergat!

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis, 450. 9 (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) Cfr. ep. VIII. Gilles hoc dictum alii scriptori adiudicasse videtur.

X. Ad Ioannem Gilles.

1. *Qua ratione vera amicitia probetur.* — 2. *De schola graeca amici.* — 3. *Iterum de signo* Thau. — 4. *Animadversiones in aliquam Gilles ex lingua graeca versionem.* — 5. *De graeca inscriptione in Sti. Ioannis Chrysostomi imagine.* — 6. *Interpretatio Eph.* 5, 22 *et* 25. — 7. *De ratione docendae linguae graecae.* — 8. *Salutationes.*

Amstelodamo, 18 Aug. 1803

Amice honoratissime.

Vera amicitia non tam verbis quam operibus se ostendit.

1. — Amicitiae obrussa est obsequium. Vera amicitia non in eo consistit, quod amici inter se dant bona verba neque quod multas longasque epistolas scribunt, neque in eo quod signant Sv. Vr. Devotiss., non ita! In his verus amicus ne minimum quidem differt a simulatore, qui haec omnia non minus observat quam ille. Sed re et consilio invicem adiuvare, alterum alteri in difficultatibus adesse, alterum alterius desideria implere, omnia temptare quae alter ad alterius felicitatem conferre possit: hoc est, in quo fictus simulatusque deficit, haec est verorum amicorum nota! Hac regula posita, non timeo ne perperam concluserim si plane persuasum mihi sit, te esse proprie vereque amicum meum, quandoquidem non solum dixisti verbis sed etiam factis et ostendisti saepe et constanter ostendis res meas tibi revera cordi esse. Cuius rei nuper iterum documentum dedisti studiose curando, ut mihi comparares opus Theologicum v. cl. *Dens,* (1) quo mihi fecisti gratissimum. Interea vero haud gratum mihi foret, te verum amicum habere, nisi putarem, idem te de me atque me de te sentire. Equidem igitur semper conabor tibi tam verbis quam rebus huiusce rei fidem facere et tu experieris, me erga te ad obsequia omnia paratum esse. Itaque iterum dico et mihi maxime placuisse quod approbaveris libros a me emptos et omnem curam me adhibiturum, ut tibi comparem Vigelium (2) cum adnotationibus Hoogeveen aliosque libros, quibus opus fuerit. Facilius autem tibi praebuerim parva Testamenta Graeca quam parvo pretio aliquot Hedericos (3). Nosti enim, Hedericum hic multum quaeri, potissimum optimam editionem.

G. ei comparavit opus theol. Dens.

Operam dabit ut alios libros amico mittat.

---

(1) Opus canonici Mechl. P. Dens (1690-1775),cui titulus « Theologia ad usum Seminariorum » sacerdotibus illius aetatis in Belgio et in Neerlandia quasi quotidianum enchiridion fuit.

(2) Vigelius i. a. edidit anthologica graeca, quae scholae magno usui fuerunt.

(3) Scriptor grammaticae et vocabularii graeci.

Schola Graeca Gilles.

2. — Quam bene mereris de Graecis, tot tironibus admittendis inducendisque, ut docto isto utilique circulo fruantur. Duobus quos nunc habes discipulis mox quattuor accedent! Brevi Athenaeum illustre istic erit. Meministi nos quoque sex numero, scholae Prof.ris Brunings (1) de Logica interfuisse? — Ne omittam: scripsisti de feriis; audebisne in Brabantiam (2) ire? Quidni potius huc venies? Res sane hic aliquantum tutiores sunt!

Sententia Menochii de Thau.

3. — Iam aliud quid! Nihil respondisti ad ea, quae iterum de Thau scripsi nisi quod adnotationem protulisti P. Menochii, cuius interpretatio nititur testimonio S. Hieronymi: thau Hebraicam fuisse T. Quid de eo sit, nescio; at hoc mihi concedas omnino oportet, nos iudicare non posse de eo Alphabetho, quod iam non sit notum; constare autem (de quo vide etiam E. Soesman in praefatione) quas litteras in Biblia Hebraica habeamus, eas revera Hebraicas esse. Nonne verisimile est, illam esse Patrum piam interpretationem, quae pro magna parte originem habeat a Graecae et Hebraicae litterae simili vocabulo? Etenim integrum Alphabethum periisse difficilius conceditur. Porro moneo Thau Hebraicam nequaquam congruere Thau Graecae, immo litteram T. Graecam Hebraica ט (Thot) et Hebraicam ת Graeca Θ esse reddendam. Ceterum nemo me, ut puto, temeritatis accusabit, si locum hunc simpliciter verto « *signa signum* », vel cum Syriaca « *signa crucem* », donec saltem de altero mihi non melius persuasero. Insitum enim nobis est, ut libentius teneamus id, de quo iudicare possimus, quam id quod extra omnem inquisitionem positum sit, atque ego prius tanto libentius eligo, quia spiritualis accommodatio in id non minus bene cadit. —

In sua sententia manet.

Animadversiones in versionem textus Libanii.

4. — Iam de verbis Libanii. Nosti, Athenis a quodam cive rogatum fuisse, ut Demosthenes publice corona aurea donaretur. Rogationi obstitit Aeschines, qui propterea Ctesiphontem (qui idem rogarat) accusavit oratione, qua imprimis Demosthenis recte facta obscurare, immo multa ab eo male gesta esse ostendere conatus est. Contra haec Demosthenes se defendit oratione περὶ στεφάνου, *pro corona,* ut demonstraret, coronam, de qua ut sibi daretur rogatum esset, sibi debere. Dicit autem Libanius ἐν τῇ ὑποθέσει i. e. in argumento, seu in summa orationis huius, posteaquam narravit, quem ordinem secutus fuisset Aeschines: ἠξίωσε δὲ καὶ τὸν Δημοσθένην τὴν αὐτὴν τάξιν ποιήσασθαι. Ὁ δὲ ῥήτωρ, καὶ ἀπὸ τῆς πολιτείας τὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο, καὶ πάλιν εἰς τάυτην τὸν λόγον κατέστρεψε, τεχνικῶς ποιῶν. Δεῖ γὰρ ἄρχεσθαί τε ἀπὸ τῶν ἰσχυροτερῶν, καὶ λήγειν εἰς ταῦτα.

(1) Conradus L. Brunings lector ann. 1800-1802 in Athenaeo Ill. vice prof. Ioannis van Swinden functus est.

(2) In Brabantia Meridionali exercitus Gallorum vagabantur.

Haec ita vertis: « Sed ille (Aeschines) putavit, Demosthenem eumdem ordinem secutum esse; verum orator et initium sibi sumpsit a politica et iterum ad eam convertit orationem, secundum artem dicens; oportet siquidem a validissimo incipere, et cum eodem facere finem ». In hanc versionem animadverto: 1° *Sed ille putavit*: δέ non semper est *sed, verum*; nam *sed* semper significat oppositionem aliquam, δὲ non semper: saepe Latine optime vertitur *autem,* Neerlandice *nu,* ut hoc loco, *Ille autem putavit* etc.

2° καὶ a te omissus est; ille autem putavit *et* Demosthenem eumdem etc.

3° *secutum esse,* melius *secuturum esse.* Aoristus ita permittit, quia intellegi potest indefinite de praeterito, de praesenti, de futuro.

4° *orator*: Is, *per excellentiam* ὁ ῥήτωρ, pro Δημοσθένης: sicuti *orator* pro *Cicerone.* Verum bene vertisti, oppositio enim est.

5° *initium sibi sumpsit*: potius simpliciter *incepit;* ἀρχὴν ποιεῖσθαι est *incipere.*

6° *politica.* Πολιτεία non tam est *politica* quam *reipublicae administrandae ratio,* hoc loco: *incepit a sua ratione administrandae reipublicae,* vel *incepit ostendendo qua se ratione semper gessiset in administranda republica.*

7° *et iterum ad eam convertit orationem*: verti etiam potest: *et iterum cum eadem orationem absolvit.* Κατέστρεψε significat, Demosthenem, postquam initio dixisset de sua πολιτεία, aliud quid tractasse et deinde argumentationem iterum ad πολιτείαν rettulisse.

Quaeris: « cur Δημοσθένην in accusativo? putabam cum Graeco infinitivo nominativum coniungi ». Quomodo factum est ut ita putares? Causa quaerenda est in Rudimentis, quae non bene intellexisti. Considera ibi legi: *cum in eadem persona oratio subsistit,* quod hic locum non habet. Libanius sic dicit: « Aeschines orationem hoc ordine instruxit putavitque Demosthenem eodem modo facturum ». Quo in casu Graecus sermo aeque atque Latinus vult *accusativum.* Quodsi ὁ Δημοσθένης poneretur, sententia omnino contraria esset ei, quam enuntiavit Libanius. Nam ἠξίωσε δὲ καὶ Δημοσθένης τὴν αὐτὴν τάξιν ποιήσασθαι, signicat: « Et Demosthenes (ipse) quoque de eodem ordine tenendo cogitavit ».

5. — Inscriptio imaginis S. Ioannis Chrysostomi certe sententia est, quae in ore illius Sancti ponitur, ἔχου τῶν πνευματικῶν, ὑπερόρα τῶν βιωτικῶν, quam sic converto: Applica te ad res spirituales, temporales parvi facito ». Non bene extricari te ais ex *genitivo* illo post ἔχω vel ἔχομαι. Primum advertas oportet, ἔχομαι

Inscriptionem imaginis S. Io. Chrys. interpretatur.

hoc loco passivum esse. Ἔχω latine dicitur habeo, adhaereo, verum haec altera significatio potissimum in passivo invenitur et vix non semper cum genitivo construitur. In omnibus eius significationibus apparet quaedam notio adhaerendi, quapropter ἔχομαι, sequente genitivo, communiter idem valet quod *amare, colere, firmiter in re aliqua perstare, alicui rei operam dare* etc. En regulam! En significationes! Qua autem de causa ἔχομαι in passivo genitivum requirat, raro quidem apud Grammaticos invenies, sed verisimile est, casum hunc pendere a subintellecta praepositione ὑπό, quae semper passivis adiungitur, quemadmodum apud Latinos *a* vel *ab*.

Item Eph. 5, 22, 25.

6. — Denique aliquid de Ephes. 5 vv. 22 et 25. Primum moneam te oportet, sermonem tam Veteris quam Novi Testamenti haud pure Graecum esse, sed passim inbutum Hebraismis. Omnia enim aut ex Hebraeo conversa sunt aut saltem ab Hebraeis conscripta, exceptis fortasse Evangelio Lucae et Actibus Apostolorum, quamquam etiam in his multi Hebraismi inveniuntur. Ex eo, ut puto, intelliges, non magis ex praeceptis Graecae linguae Bibliam interpretandam esse, quam ex. gr. opus gallicum, ab auctore Neerlandico scriptum, cui scribenti propriae linguae regulae nimis animo obversarentur, secundum linguae gallicae regulas. — Iam quod attinet ad vocativum cum articulo positum, id etiam ipse saepe inveni in LXX (ne diu quaeram, te e. c. remitto ad Ps. 5 v. 2, Ps. 25 v. 2 et 22, Ps. 28 s.; sic passim). Nescio, quid de eo dicant interpretes, at mihi videtur Hebraismus esse, qui originem ex hoc habet, quod apud Hebraeos ה tam vocativum quam demonstrativum est. (Vide E. Soesman pag. 40). Ἑαυτῶν, loco ὑμετέρας vel cuiuspiam similis, frequens usus est etiam apud alios Graecos et Vigerus, qui illum Idiotismis linguae Graecae adnumerat, exempla adducit ex Xenophonte et Isocrate, qui sane Graeci sunt quorum purus est stilus. Cum ipse Vigerum habeas, potes inspicere in cap. IV Reg. 1 n. 7.

Iterum eum admonet, ne discipulos incipere sinat a lectione Gr. Sept.

7. — Ceterum in malam partem, ut confido equidem, non accipies, si te iterum admonuero ne sinas discipulos tuos incipere a LXX vel a Novo Testamento. Id enim eos impuro stilo assuefaceret. Potius incipiant a capitibus selectis, quae Gedike [1] edidit, et dein transeant ad Novum Testamentum; tum Graecitatem ab Hebraismis vel Hellenismis distinguere poterunt. Consilium mihi erat ut iterum aliquam partem orationis meae ad te mitterem, sed proh dolor oblitus sum, quousque pervenerim neque etiam scio utrum postalem chartam an aliam scribendo

(1) Anthologica graeca.

adhibuerim. Peto ergo ut in proximis litteris id mecum communices. Adiungo aliquid ex S. Cyrillo Hierosolymitano (1).

8. — Salutem tibi dicere debeo a RR. PP. eccl. De Krijtberg a Dns van der Maesen et Schrant et quod sua sponte intelligitur a Parentibus meis. Vale! Salutationes.

Devotus servus tuus atque amicus

I. P. Roothaan

Litt. Hum. St.

P. S. Graecorum haec tria vota ex Hederico vel potius ex Luciano tibi reddo, sunt enim bona valde:

ἔῤῥωσο! ὑγίαινε! χαῖρε!

N. B. - Tempus non habeo plura de Cyrillo scribendi.

Arch. Societati Iesu, Bruxellis. 450. 10. (*Versio ex ling. neerl.*).

XI. Ad Ioannem Gilles.

1. *Rationem reddit intermissionis litterarum.* — 2. *De D. Gul. Oomen.* — 3. *Studia litterarum hoc anno absolvet.* — 4. *Salutationes, cet.*

Amstelodamo, 19 Oct. 1803.

Amice honoratissime.

1. — En epistola, quam fortasse iam dudum exspectaveris, et cuius retardatione miratus procul dubio eris. Revera, fateor, de negligentia accusare me deberem, nisi rationes solidas habuissem ob quas litteras meas differrem. Profecto non expedire videbatur ad te scribere, dum Antverpiae degebas, quia litterae meae feriarum tuarum otio impedimento esse poterant. Malebam igitur Octobrem mensem exspectare, quo putabam studendi tempus Ypelarianis denuo incepturum esse sicuti Amstelodamensibus et Warmundanis. At cur exspectavi usque ad 19 Cur tamdiu distulerit litteras dare.

(1) Folia quaedam pulchre sua manu Graece transcripta.

1° ne epistola feriarum tempore incommode veniret,

2° ne ineunte novo anno studiis vix inceptis impedimento esset,

3° cum litteris etiam libros aliquot mittere voluit.

Octobrem? Quidni prius scripsi? Dicam; nolui tibi molestus esse eo tempore, quo scholastico maxime laborandum est. Equidem saltem etiam atque etiam experior, ferias mentem semper aliquo modo dissipare, quocirca cum studia resumantur laborem esse duplicem, hinc ob studia ipsa hinc ut studiorum ordini ac rationi denuo assuefias. Neque enim illi soli id evenit, qui totum se a studiis removit seque excursionibus et oblectamentis tradidit. Ipsa studiorum intermissio, mutatio loci, alius dividendi temporis ordo, res aliae multae, quae in feriis semper concurrunt, abunde sufficiunt, ut scholasticum, quamvis ceteroqui suis studiis devinctum ac devotum, dissipent. Ideo semper tempus aliquantum requiritur, ut in antiquum « centrum » tuum te restituas. En ratio altera. Altera est, quod cum litteris etiam aliquot ex iis libris, quibus opus habes, ad te mittere volebam; cuius rei praevidebam propediem oblatum mihi iri occasionem. Hac autem occasione usus mutuum nostrum epistolarum commercium ex mea parte redintegro. Quos nunc mitto libros, tibi placituros esse spero. Rudimenta et Gr. Testamentum addita sunt ex tuo mandato, Vigerus ideo potissimum quod illum necessarium esse iudico omnibus, qui in Graeco sermone exercere se velint. Revera fateor, me brevi tempore multum progressum esse mihi videri, ex quo librum illum domi habeam; neque dubito quin longius etiam progressus fuissem, si aliquanto prius in manibus habuissem. Eumdem igitur tu, quod iure puto, cum voluptate accipies. Valor sarcinulae totius est f. 2-16; quo ratio nostra aucta est ad f. 40-18.

Gulielmus Oomen, quem Amstelodami duce v. cl. van Lennep litteris graecis operam daturum esse speraverat, non venit.

2. — Iuvat me vidisse D. Gulielmum Oomen, de quo scripseris, et aliquoties cum eo collocutum esse. Cum autem mihi videretur iam aliquot in Graeco sermone progressus fecisse et studia continuare velle et propensum esse ad agendum annum Amstelodami, non inutile iudicavi consilium ei dare, ut in Graeco sermone sese exerceret duce viro clarissimo van Lennep. Ille haud adversatus, affirmavit, se hic mansurum quantum a sua penderet voluntate, interea vero Bredam redire debere ut ea de re parentes consuleret. Frater eius, qui hic habitat, eiusque nepos R. P. Kleyn, litteras dederunt, quibus parentes rogaverunt ut sinerent eum unum annum ducere Amstelodami. Tum profectus est, ductus spe et desiderio, fore ut brevi iterum hic versaretur. Postquam Bredam abiit, fratrem eius adii, auditurus an forte nuntius aliquis de voluntate parentum eius iam advenisset, atque responsum accepi, eos illius consilio consensisse. Qua re valde gavisus, a fratre discessi, laete prospiciens, me novum nostri Athenaei tironem propediem hic esse visurum. Iamiam spe eius amicitiae fruebar, virum cl. van Lennep cum convenissem certiorem feci, quotidie D.um Gulielmum Oomen

expectabam. Ast, dies qua scholae incepturae sunt appropinquat, adest, scholae incipiunt, continuantur, nec tamen venit Oomen. Fortuito praeteriens domum, ubi frater eius habitat, hunc ut forte ianuae adstabat allocutus sum. A quo cum dolore et stupore audivi consilium iterum totum esse mutatum fratremque Lovanium iturum, ut Philosophiae operam daret. Quomodo nunc res se habeat, nescio; sed iure mihi videor iudicare occasionem ulterius in Graeco sermone progrediendi fere esse illi praeterlapsam. At ne iudicem iracundius! Fieri potest ut industria atque exercitatio penuriam Professorum suppleant. Me autem, persuasum tibi sit, posterior nuntius non minori tristitia affecit quam prior laetitia. Duo alii, de quibus mihi scripsisti, non venerunt; quod procul dubio notum tibi est.

3. — Nihil amplius habeo quod scribam, nisi me etiam hunc annum hic mansurum, ut studia Graeca, Hebraica, Philosophica continuem, tum... Laetos tibi progressus in studiis atque Divinum in omnibus consiliis tuis subsidium precatus, me antiquae amicitiae tuae commendo

Unum etiam annum Amstelodami studiis litterarum operam dabit.

Tuus devotus amicus

I. P. Roothaan.

4. — P. S. - En iterum pars Orationis (1), quam promisi. Quomodo capitula Cyrilli (2) tibi placuerunt? Remitte mihi ea quaeso in proxima epistola; dein, si placet, quod reliquum est addam.

Misit partem Orationis suae et capita quaedam e catechesi S. Cyrilli.

N. B. - Ego et RR. PP., qui in eccl. De Krijtberg sunt, parentes mei, Prof. van Lennep, Domini van der Maesen et Schrant te salutamus. Salutationes quoque multas tibi debeo a tuo nepote Roest (3), qui et domi ab Hartog mathesi instituitur et Athenaeum constantissime frequeant. Vale!

Salutationes.

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis. 450. 11. (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) Cfr. ep. IX.
(2) Cfr. ep. V.
(3) Filius Arnoldi Baronis de Roest van Alkemade († 1787) et Franciscae Gilles († 1826), insignes benefactores Ecclesiae De Krijtberg.

XII. Ad Ioannem Gilles.

Communicat festinanter cum amico nuntium laetissimum, vix credibilem, Pium VII Societatem Iesu per totum terrarum orbem instaurasse.

Amstelodamo, 6 Nov. 1803.

Care amice.

A R. P. Beckers nuntium accepit, vix credibilem, S. P. Pium VII Soc. Iesu per totum terrarum orbem instaurasse.

Officium meum esse iudico, hisce nuntium maximi momenti tecum communicare, qui tam tibi quam mihi incredibilis videretur, nisi auctoritas illius, a quo eum accepi, narrationi fidem faceret. Ipse R. Pater Beckers mihi his diebus dixit, a Sanctitate Sua Pio VII Iesuitas in sua iura restitutos esse, idque non solum in Russia sed toto orbe terrarum. « En, inquit, quod futurum esse dum viverem iam non exspectabam. Eo magis miror, quod accidit tempore, quo tale quid ne cogitares quidem: quo tempore mundus plenus est simulationis, impietatis, perturbationis et Pontifex negotiis detinetur tam multiplicibus, ut eum prorsus conficiant. Sed verum est: Pius VII (1) restituit *Societatem,* cum Pacanaristis (2) interdictum sit ne novitios admittant, ipsique Pacanari Patris nomen gerere denegatum. »

Gaudio et laetitia exsultat, quibus etiam amicum perfusum iri persuasum sibi est.

Quid tibi videtur, amice mi, de nuntio hoc? Nonne revera momenti est maximi? Ni fallor, eo audito in facie tua laetantis animi lineamenta eminere video. Equidem fateor, animum meum tam admiratione quam gaudio captum fuisse, audito hoc laetissimo nuntio! Faxit Deus, sic mecum cogitabam, ut confirmetur, utque Ecclesia denuo fructibus laetetur restituti illius sodalitii, cuius exstinctione tot ei calamitates acciderint! Profecto, si verum est quod narratur, habendus est singularis effectus Providentiae Dei, cui placuit hoc auxilio Sponsam Suam dolore afflictam consolari et in Ecclesia Sua novas columnas

---

(1) Rumor potius quam verus nuntius circumferebatur, Societatem Iesu iam esse restitutam. Pius VII per Breve *Catholicae Fidei* die 7 Martii 1801 datum Iesuitas in Russia degentes vere Iesuitas esse confirmaverat et Patri Gruber in Praepositum Generalem electo litteras scripsit, paterna benevolentia plenas, quibus nova amoris signa Societati se daturum promiserat. Die autem 30 Iulii 1804 Breve *Per alias* Societatem in statum pristinum restituit in regno Duarum Siciliarum.

(2) Pacanaristae, sacerdotes qui an. 1793-1803 Congregationem quamdam constituerunt, cui nomen *Societas Patrum Fidei* vel *Societas Fidei Iesu.* Constitutiones S. I. observabant et restitutionem Societatis Iesu parare dicebant. Auctor, proh dolor, Pacanari Tridentinus, gravia ob crimina ad iudicem adductus ac condemnatus, obscure vitam finivit.

erigere contra tot vehementes concussiones, quae undique perferendas habet. Equidem omittere non potui, quoniam primo quoque tempore huius rei certiorem te facerem. Plura autem nunc quidem non scribam, sed magno cum desiderio litteras tuas exspecto. — Quos libros tibi cum postrema epistola mea 19 Oct. misi, non dubito quin acceperis.

Ex animo tibi ego et parentes mei salutant. Vale! Cum omni benevolentia subscribo

devotus servus atque amicus tuus

I. P. Roothaan

P. S. - Nosti sane, Pacanaristas esse qui dicerent, se alio nomine Societatem Iesu ad vitam reducere velle, R. P. Beckers autem iis nunquam fidem habuisse si quandoque de eorum Societate cum eo loquerer. De Pacanaristis.

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis. 450. 3 (*Versio ex ling. neerl.*).

XIII. Ad Ioannem Gilles.

1. *Amico animos dat ad studia graeca persequenda.* — 2. *Corrigit versionem capituli S. Cyrilli.* — 3. *Salutationes, nuntia.*

Amstelodamo, 6 Dec. 1803.

Amice aestimatissime.

1. — Epistolam 17 Nov. datam eo maiore voluptate accepi, quo longiore a tempore litterulam a te habui nullam, de quo ceteroquin te excusas propter multiplices occupationes tuas. Versio capituli ex S. Cyrillo gratissima mihi fuit quia ex ea cognovi, te cum eadem diligentia etiamnum Graecae linguae operam dare. Non quod antea vel minimum dubitavi, sed specimen hoc renovavit et confirmavit firmam fiduciam tui quam hac in re habebam. Petisti ut emendarem quae sive omnino non sive minus recte versa essent; faciam, nosti enim me talibus precibus semper libenter satisfacere. Epistolam magno cum gaudio accepit; versionem laudat.

2. — Κατήχησις μυσταγωγιγὴ δ′: Vertis « spiritualis institutio », quibus verbis sola κατήχησις recte vertitur, sed etiam μυσταγωγική reddenda est. Ad id scias oportet, nos a S. Cyrillo Hierosoly- Animadversiones.

mitano habere etiam alias κατηχήσεις, quae non inscribantur μυσταγωγικαί. Μυσταγωγικαί, quinque numero, illae sunt, quae scriptae sunt πρὸς τοὺς νεοφωτίστους (ad nuper illuminatos, nuper baptizatos) περὶ τῶν μυστηρίων (de SS. Sacramentis; nam quae Latini sacramenta ea Graeci vocant μυστήρια). Ita e. g. ἡ δευτέρα κατήχησις μυσταγωγικὴ est περὶ βαπτίσματος, ἡ τριτὴ περὶ χρίσματος (de confirmatione) ita iam ἡ κατήχησις μυσταγωγική δ′ (quarta institutio de SS. Sacramentis) περὶ σώματος etc.

Ἀνάγνωσις: demonstratio, ἀναγινώσκω primum est *agnosco,* tum *lego,* inde *praelego, praelegendo interpretor.* Potius igitur ἀνάγνωσις hoc loco vertam: *lectio, explicatio.*

Πληροφορῆσαι ὑμᾶς: ad *nos persuadendos,* ad *vos* persuadendos.

Ὧν καταξιωθέντες, σύσσωμοι καὶ σύναιμοι τοῦ Χριστοῦ γεγόνατε: vertisti « per quae vos digni aestimati estis fieri socii corporis et sanguinis ». In hac versione multa habeo vituperanda:

1°. τοῦ Χριστοῦ: omissum est, sane errore.

2° καταξιωθέντες: licet sit partic. aor. 1 pass. interpretatus es ac si in indicativo positum esset. Minime! Coniunxisti, ni fallor καταξιωθέντες cum γεγόνατε; at perperam; γεγόνατε pertinet ad σύσσωμοι καὶ σύναιμοι et participium in versione maneat oportet participium. Nunquam enim te invenisse puto partic. aor. cum γέγονα coniunctum; aliquando fortasse part. perf. pass. cum εἰμί.

3°. Vis verborum S. Cyrilli versione tua non plene redditur. Phrasis est καταξιόω τινά τινος: *dignum aestimo aliquem aliqua re;* in passivo καταξιοῦμαί τινος, *aliqua re dignus aestimor,* seu si mavis, *honoror aliqua re.* Vides ergo ὧν genitivum esse, quem regat καταξιωθέντες, neque vertendum esse *quae,* sed coniungendum cum participio. Interpretatio difficilior est, quoniam καταξιοῦσθαι non solum significat *dignum aestimari,* sed etiam *accipere, frui* illo, quo quis dignus aestimetur. Nescio an honorari hic optimum sit, ac propterea vertere malim: *quibus vos honorati, facti estis socii corporis et sanguinis Christi.*

Αὐτὸς γὰρ ἀρτίως ἐβόα: *dicebat enim ipse aperte*: βοάω proprie est *clamare,* ut nosti, αὐτός pro *ipse* videris accepisse, quod necesse non est, *ille* sufficit, aliud quid non inest. Quodsi coniungitur cum substantivo, e. g. si dicitur αὐτὸς γὰρ ὁ ἀπόστολος, vertendum est: *nam Apostolus ipse,* vel cum αὐτός post verbum ponatur, etiam tum maior est vis: ἐβόα γὰρ αὐτός, *clamabat enim ipse.* Haec omnia ex contextu et usu optime intelleguntur.

Ἀρτίως: *aperte,* voluisti sane *clare* dicere.

Ὅτι ἐν τῇ νυκτί *quod is in nocte*; ad quid τὸ *is*? plus obscuritatis quam lucis affert.

Τίς τολμήσει ἀμφιβάλλειν λοιπόν: *quis* (*etiam*) *dubitare au-*

deat? quare *etiam* inter parentheses? λοιπόν omnino postulat *etiam.*

Τὸ ὕδωρ ποτὲ ε. ο. μ. (¹) οἰκεῖον αἵματι: *aquam aliquando i. v. m.* (²) *propinquam sanguini;* nimirum propinquum, non enim est aqua sed vinum quod sanguini simile est.

Οὐκ ἀξιόπιστός ἐστιν, *non dignum est quod credatur;* legendum *non dignus est cui credatur.*

Εἰς γάμον: *in nuptiis; ad nuptias.*

Ταυτὴν ἐθαυματούργησε τὴν παραδοξοποῖαν, *hoc opus mirum perfecit;* bene, frustra enim coneris vim omnem Graeci sermonis in nostram linguam vertere.

Ὀυ πολλῷ μᾶλλον... ὁμολογηθήσεται: *nonne erit ei multo magis proprium;* ego malim: *nonne multo magis consentietur, credetur, eum...* Id videtur esse necessarium, quia verbum cum nomin. construitur, cum secus certe dativum requireret. Ὁμολογεῖταί μοι potest significare *convenit mihi,* sed ἐγὼ ὁμολογοῦμαι τοῦτο ποιήσας: interpretandum est *conceditur, creditur me hoc fecisse.*

Δωρησάμενος *ad donandum.* Aoristus non solum praesens sed etiam praeteritum et futurum designat, ex indefinita significatione eius, qui est χρόνος ἀόριστος.

Ὥστε μετὰ πάσης πληροφορίας, ὡς σώματος καὶ αἵματος μεταλαμβάνωμεν Χριστοῦ: *sicut cum plena persuasione tam corpus quam sanguinem Christi accepimus;* ὥστε est *ita ut.* Ὡς cum καί coniunctum Graeci non ita usurpant ut hic vertisti. Tu illud accepisti quasi diceret: *ut, sic,* ut corporis ita sanguinis; at talem usum τοῦ ὡς ego adhuc inveni nunquam, ὡς-οὕτω vel οὕτω καί inveni. Quomodo hoc loco vertendum sit, nonnihil obscurum est. Dici potest *accipere ut corpus et sanguinem,* sed cum μεταλαμβάνω proprie sit *participem fieri,* iam *ut* male ad istud accedit. Putem igitur proximum ὡς relinquendum esse tamquam « abundans ». Nisi quis ponere mavult, post πληροφορίας verbum quodpiam, v. g. πιστεύωμεν, vel tale quid excidisse. Ego autem verterem: *ita ut cum omni certitudine participes fiamus corporis et sanguinis Christi.*

Ἀναδιδομένου: *quod attribuitur* (seu *effunditur*). Potius, ut mihi videtur, *quod traditur, transmittitur.*

Μὴ ἀκηκοότες πνευματικῶς τῶν λεγομένων: *cum non intellexissent, quae spiritualiter dicta fuerant.* Optime secundum sensum. At πνευματικῶς proprie pertinet ad ἀκηκοότες, non ad λεγομένων, sicut tu vertis; secus enim dicendum erat τῶν πνευματικῶς λεγομένων. Verto igitur: *non spirituali sensu intelligentes ea quae dicta erant.*

(¹) εἰς οἶνον μεταβέβληκεν.

(²) In vinum mutavit.

En petitioni tuae satisfactum! Quoniam hoc capitulo tantam tibi voluptatem dedi, volo equidem, si placet, eiusdem partem reliquam ad te mittere. Remittas igitur quaeso chartulam, in qua initium scripsi, ut et ea quae sequuntur et finem addam.

Nuntia, salutationes.

3. — Gaudeo quod Dno Oomen res prospere successit. Si quando potueris, eum meis verbis benigne salutes velim.

Ad D. van der Maesen quod attinet, hic demum ad Iura devenit sed nondum scit, an in eis permansurus sit. Puto ei consiliarios esse nimios. Salvere te iubet. De restituenda Societate mitto hisce inclusum exemplar epistolae, quam aliquoties pro R. P. Beckers transcripsi; quod ad me, oro, quamprimum remittas.

Nepos tuus Dms Roest per me tibi salutem plurimam dicit. Ad D.nam avunculam tuam certe nondum litteras dedisti; ego saltem relationem earum nondum accepi.

Finem faciens una cum Parentibus meis tibi salutem dico. Persuasum tibi sit de amore meo.

Devotus servus tuus et amicus

I. P. Roothaan.

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis. 450. 3 (*Versio ex ling. neerl.*).

XIV. Ad Ioannem Gilles.

1. *Vota pro novo anno.* — 2. *Accuratior interpretatio catecheseos S. Cyrilli.* — 3. *De P. Kohlman.* — 4. *Nova, salutationes.*

Amstelodamo, 11 Ian. 1804.

Care amice.

Ineunte novo anno fausta amico precatur.

1. — Etsi votis tuis benevolis ineunte anno me praevenisti, tamen officio meo nequaquam deesse volo. Imprimis tibi exopto, ut Deus omnes gratias tibi largiatur, quibus ad implenda consilia Providentiae eius opus est. Opto et oro ut cor tuum sanctificare velit, intellectum illuminare, studia ita dirigere, ut quos labores cum Eo, ut confido, coeperis, cum Eo quoque conficere valeas. Iam prius profecto ad duas epistolas tuas respondissem, nisi impedivisset me offensio oculorum, quibus per aliquot dies neque ad scribendum neque ad legendum uti potui.

Planius explicat interpretationem prius datam.

2. — Animadversionem de titulo « κατήχησις μυσταγωγική » non intellexisti. « Κατήχησις μυσταγωγική, ita rogas, vertendum ergo simpliciter est *institutio* non *spiritualis institutio*? » Ad quod firmiter respondeo : Haud ita ! Scripsi, etiam si solum legeretur κατήχησις, quin adiectum esset μυσταγωγική, vertere licere « *spiritualis institutio* » ideoque in versione vestra aliquid insuper addendum fuisse, quo Graecum vocabulum μυσταγωγική redderetur. Quid μυσταγωγική hic significet, id mihi satis clare ostendisse videor : in illa nempe κατηχησει agi de uno ex Sacramentis. Quod ad δ′ attinet, in Hederico invenies (haud dubito) eam litteram pro nota numeri adhiberi et designare 4. Κατήχησις μυσταγωγική δ′ igitur est : *institutio de SS. Sacramentis quarta, vel quarta illarum spiritualium instructionum, quae sunt de SS. Sacramentis.*

Non dubito quin quid sentiam iam bene intellexeris. Quodsi relegeris ea quae hac de re in priori epistola scripsi, videbis ea cum hac explicatione convenire. Una remitto chartulam cum reliquo opusculo S. Cyrilli ut petisti.

De Pacanaristis Kohlman et Aubry.

3. — Quod attinet ad P. Kohlman (1), cui illa Gallica epistola inscripta erat, Pacanarista cum esset, hac in urbe cum

(1) Antonius Kohlman, Kayserberg (in Alsazia) anno 1771 natus, prius Congregationi Patrum Fidei nomen dedit, die vero 21 Ianuarii 1805 Duneburgi Societatem ingressus est. Per 15 annos versatus est in Statibus Foederatis, ubi inter alia munera Provinciam Marylandiae moderandam suscepit. In Collegio Romano theologiam dogmaticam docuit et Romae obiit die 10 Aprilis 1836. Vir doctrina et ardore apostolico insignis.

Socio R. P. Aubry scholam et convictum aperuit in Kadijk, in domo quae antea deversorium fuerat, cui nomen turris Cordaan. Postea alii in eorum locum successerunt, cum uterque iamdudum Londinium profecti sint. Hi quoque, qui curam scholae susceperunt, Pacanaristae sunt, viri probi et periti, ut audio, sincerique amici Societatis.

R. P[i] Beckers ab epistolis est.

4. — Aliquot epistolas tibi ostendere possum de causa Iesuitarum, inter quas unam a Praeposito Generali qui Petricovii sedem habet, scriptam. Videlicet interdum Scribae munere apud R. P. Beckers fungor!

Salutationes.

Mandatum accepi salutandi te a parentibus meis, a Dominis van der Maesen, Schrant, Boele, quibus etiam tuo nomine temporis huiusce votis salutem dixi, quamquam non singillatim mandaveras. Vale, carissime amice, persuasum tibi sit de benevolentia et observantia

studiosi servi tui et amici sinceri
I. P. Roothaan L. H. S.

P. S. Graeci quomodo valent?

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis. 450. 14 (*Versio ex ling. neerl.*).

XV. Ad Ioannem Gilles.

Nuntiat amico gravem morbum R. P. Groenen.

Amstelodamo, 23 Ian. 1804.

Amice honoratissime.

R. P. Groenen epistolae a Gilles sibi datae respondere nequit, cum manuum et pedum morbo teneatur.

Quamquam responsum exspecto ad postremam epistolam meam, cum tuae nunc partes sint ut ad me scribas, oportet tamen communicem tecum aliquid, quo te metu liberem qui forsitam sollicitum te habeat. Miraris procul dubio, quod R. P. Groenen (1) nondum respondit ad epistolam, quam nuper per me illi dedisti. Iam vero, *manus Domini tetigit eum.* Paucis hebdomadis ante morbo laboravit, ex quo dexterae manus retinuit

(1) R. P. Henricus Groenen, Traiecti a M. natus, ab anno 1800 adiutor fuit R. P. Beckers in De Krijtberg.

incommodum, quod eam ad res complures, etiam ad scribendum, inhabilem reddidit. Ante hos quindecin dies satis bene habere coepit atque iam multum se profecisse putabat, cum idem morbus rediit, ita tamen ut non solis manibus sed etiam pedibus teneretur; hi podagrae dolores sustinere iam debent. Hisce ergo amice te salutari iubet affirmatque se ad gratissimam epistolam tuam responsurum, ubi primum id per manus licuerit.

Cum tuas litteras exspectem, iam non plura addam, sed omnia ad proximas meas reservo. Vale! φίλτατε persuasumque habeas de amore et observantia

studiosi servi tui et amici sinceri
I. P. Roothaan L. H. S.

P. S. Parentes mei tibi salutem plurimam dicunt.

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis. 450. 15 (*Versio ex ling. neerl.*).

XVI. Ad Ioannem Gilles.

1. *Novam versionem ab amico factam laudat.* — 2. *Aliquas animadversiones adicit.* — 3. *Catecheses S. Cyrilli dilucide (contra haereticos) fidem Catholicam exponunt.* — 4. *Nova, salutationes, cet.*

Amstelodamo, 8 mart. 1804.

Care amice.

Laudat versionem opusculi S. Cyrilli ab amico factam.

1. — Epistolam tuam, quam desiderio exspectabam, magna voluptate accepi. Quae maxime confirmavit opinionem meam de studio et diligentia qua linguae Graecae operam das atque ex versione opusculi S. Cyrilli puto me recte conclusisse, te non solum linguae illius non oblivisci, verum etiam, nequaquam blandior, in ea addiscenda proficere. Versio haec multo melius quam prioris partis successisse mihi videtur. Quod hic in te observo, quotidie in me ipse experior. Antequam auctoris cuiusdam stilo assuefactus es, omnia, ut ita dicam, inusitata et insolita sunt; vix autem in eodem legendo aliquos progressus fecisti, cum dicendi genere intellecto perspicuitatem facilitatemque praedicas eiusdem scriptoris, de cuius obscuritate et difficultate antea questus es. Quod autem saepe in me ipse et in aliis multis animadverti, id in te etiam eventu comprobatum video. Idcirco

non tot observationes huius versionis quot prioris habeo. Quae autem adnotavi ea tecum pro tua petitione communicabo.

Animadversiones. 2. — Κατὰ τὴν δεσποτικὴν ἀπόφασιν: Vertis: *iuxta supremam sententiam;* potest δεσποτικήν simpliciter intellegi κυριακήν, eademque ei vis attribui ac si dicatur: κατὰ τὴν ἀπόφασιν τοῦ δεσπότου, τοῦ κυρίου: *secundum sententiam Domini.* Δεσπότης in minore usu est ad designandum Deum vel Iesum Christum quam vox κύριος, quo vocabulo LXX semper reddiderunt Hebraicum יהוה. Δεσπότην non credo ab iis unquam hoc sensu adhibitum fuisse.

Τὴν — τραπέζαν — ἥν ὁ Θεός ἡμῖν ἑτοίμασεν ἐξεναντίας ἀντὶ τοῦ ἐκ τοῦ ἐναντίου καὶ ἀντικειμένως τοῖς δαίμοσιν: Voces ἀντὶ τοῦ non intellexisti; vertisti enim: *mensa, quam Deus nobis praeparavit contra eos qui in opposito et in contrario a daemonibus* (parata est). Ἀντὶ τοῦ positum est inter ἐξεναντίας et ἐκ τοῦ ἐναντίου καὶ ἀντικειμένως eodem sensu quo e. g. Latini dicunt: *diligere* pro *amare,* et quo nos scribimus *liefhebben* DAT IS *beminnen.* Ἐκ τοῦ ἐναντίου καὶ ἀντικειμένως est ambitus verborum et ulterior declaratio illius ἐξεναντίας. Ἐξεναντίας proprie est *e regione contra.* Ut igitur significationem vocis huius penitus audientibus inculcet, dicit ἐξεναντίας ἀντὶ τοῦ ἐκ τοῦ ἐναντίου, ἐξεναντίας loco ἐκ τοῦ ἐναντίου, *ex opposita parte* idest *contrarium, oppositum daemonibus.*

Ἐλίπανας ἐν ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου: *unxisti in oleo caput meum.* Ἐν ἐλαίῳ est *oleo*; praep. ἐν omitti potest, quia Hebraismus est בַּשֶּׁ מֶךְ.

Ἁγίασμα Θεοῦ: *sanctificatio Dei.* Potius *sanctuarium Dei... sacratum habitaculum Dei.*

Ὡσεὶ κράτιστον: (est) *sicut optimus quis.* Ὡσεί reapse nihil aliud significat nisi *tanquam.* At ὡς, ut habent LXX Ps. 23. 5, optime verti potest: *quam fortissimus.* Sic Graeci etiam dicunt e. g. ὡς τάχιστα, *quam celerrime.*

Ταύτην αἰνιττόμενος τὴν χάριν: *Ad hanc gratiarum actionem referens.* Χάρις non tam est *gratiarum actio* quam *favor, gratia.*

Δεῦρο, καλεῖ τὴν σωτήριον καὶ μακαριοποιὸν κλῆσιν: *veni huc, clama invitationem beatam et felicem facientem.* Video te καλεῖ accepisse pro imperativo. Sed praeterquam quod accentus demonstrat indicativum esse, apparet per se. Καλεῖ κλῆσιν est *vocat vocationem, clamat beatum clamorem,* quae verba simpliciter explicant τοῦ δεῦρο: est illa κλῆσις σωτήριος καὶ μακαριοποιός.

Εὐδόκησε Κύριος τὰ ποιήματά σου, ἀποδυσάμενον τὰ παλαιὰ ἱμάτια: *Dominus approbavit opera tua, quae exuerunt vetera vestimenta.* Videris ἀποδυσάμενον ad ποιήματά retulisse; quod fieri nequit. Ceterum est ἀνακολουθία quaedam; ἀποδυσάμενον secundum grammaticae praecepta esse debet ἀποδυσαμένου; procul dubio hic subintelligendum est σε.

Οὐ πάντως τοῦτο λέγομεν ὅτι σε δεῖ etc., *hoc sub omni respectu non est, nam oportet te.* Potius: *non dicimus hoc sub omni respectu oportere te* etc.

Εἰ καὶ τῇ γεύσει αἰσθητός *quamquam gustui sensibile est.* Αἰσθητός, i. e. ἄρτος. Non semper αἰσθάνομαι vertendum est verbo *sentiendi;* dicitur de sensibus omnibus, modo igitur significat *gustare,* modo *olfacere,* alias *audire* etc.

Μεταλαμβάνων αὐτοῦ ὡς πνευματικοῦ: *Huius spiritualis rei particeps* cum sis. Hic ἄρτου subintelligitur; est igitur sensus: *huius, tanquam qui sit spiritualis,* (*panis*) *particeps cum fias.*

3. — En, amice mi, paucas animadversiones, quas spero fore ut quo amore dederim ego, tu accipias. Quid tibi videtur de hoc libello? Nonne ex eo demonstrari potest, Protestantes falso opinari saeculo 10° vel 11° symbolum fidei quod ad Eucharistiam attinet esse mutatum? Tam dilucida testimonia auctoris saec. IV, qualis S. Cyrillus est, multum valent; eo plus quod institutio est neophytarum, quam verbis claris et apertis haberi omnino necesse erat, et cui dicendi figurae, quas Calvinistae omnibus in locis SS. Patrum, atque etiam in verbis Christi invenire sibi videntur, minime conveniunt. Occasione data fortasse plura tibi mittam ex alia κατήχησι, eiusdem S. Episcopi, in qua Liturgiam recenset et explicat; in ea inter alia inveniuntur *Lavabo, Praefatio, Pater Noster.*

Hoc opusculum S. Cyrilli praeclarum testimonium est fidei Catholicae.

4. — Quod Graeca schola tua nunc unum tantum discipulum habet doleo; hunc autem satis bene progredi gratum est audire. Scripsisti, eum raro tantum partes sententiarum enodare, propterea quod coniugationes non bene noverit. Meo quidem iudicio haec ipsa ratio est, quae eum incitare debeat ut partes alacriter faciat. Quod quidem, si coniugationes menti firmiter inhaerent supervacaneum est.

De schola graeca amici.

Morbus P. Groenen etiamnum permanet. Eum et P. Beckers a te salutavi, uterque tibi salutem plurimam reddit. P. Beckers vehementer miratus nescit fere, ut ita dicam, quid de te cogitet, cum semper persuasum ei esset te ad Societatem ingrediendam inclinari, immo ingressurum quasi confideret [1].

De morbo P. Groenen.

P. Beckers responsum Gilles non parum miratus est.

Gratias ago, quod salutarem Quadragesimam mihi precatus es; votum tibi reddens pium processum exitumque eius exopto. Hodie vespere Dominum Offermans tertium quartumve audiam de Pilati verbis « Quid est veritas »? Pater ille, qui ultimus missus est in « de Ster » [2], etiamnum ibi est, sed contiones quadragesimales non habebit; habebit hoc anno P. Klyn.

Vota pro quadragesima, nuntia.

---

(1) Cfr. epp. XVII, XVIII. — Apparet, Gilles ad epistolam amici longe aliter respondisse ac hic exspectaverit.

(2) Ecclesia patrum S. Augustini.

De sermonibus Io. Nanning. De contione R. D. Hageman

Quaeris pretium Sermonum Nanning [1]; volumina 10 in 8° constant fl. 19. Heri in omnibus ecclesiis diem gratiarum actionis et supplicationis egimus, qua occasione pulchram audivi orationem dogmaticam R. D. Hegeman [2] de textu: *Si cognovisses et tu et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi.* Luc. 19, 42.

Salutationes.

Parentes mei te salutant; item D. Boelen, qui nuper de te exquisivit. Vale atque ora pro

Servo tuo studioso sinceroque amico
I. P. ROOTHAAN L. H. S.

ARCH. SOCIETATIS IESU, BRUXELLIS, 450. 16 (*Versio ex ling. neerl.*).

XVII. AD IOANNEM GILLES.

1. *Plenius amico exponit, quare R. P. Beckers tantopere de eo miratus sit.* — 2. *Ipse sibi coram Deo vitae statum elegit.* — 3. *Salutationes.*

Amstelodamo, 27 Mart. 1804.

Amice honoratissime.

Quid Gilles de Societate Iesu et senserit et saepe dixerit; quare R. P. Beckers de eo miratus sit.

1. — Cum in postremis litteris desiderium etiam ante ferias epistolae accipiendae significaveris, pro nostra amicitia hanc tibi quantulamcumque voluptatem negare nolui, etsi alioquin nondum responsurus eram. Vehementer miror quod petis, ut planius tibi explicem, quod scripseram de opinione quam R. P. Beckers de te habuit. Nonne semper inclinatus fuisti in Societatem Iesu? Nonne semper magnopere desiderasti, si fieri posset, in numerum eius sodalium admitti? Nonne istud desiderium saepe manifestasti tam R. P. Beckers quam R. P. Groenen, magistro tuo et animi moderatori? Quod maius est, nonne animi tui affectionem hac de re mihimet ipse saepius manifestasti, quoties inter nos dolorem significavimus, quod occasio nobis deesset ingrediendae Societatis? Atqui! Num igitur adeo obscurum est, num tam difficile intellegi potest quod scripsi, R. P. Beckers valde mirari, se tam pauca audire de ista erga Societatem vo-

(1) Ioannes Nanning, insignis orator sacer in Hollandia, parochus Lugduni, Weesp, Bergen, Buitenveldert 1689-1761. Eius sermones in antiquo catalogo Crajenschot, a. 1796 edito, qui etiamnum exstat, licent f. 19.

(2) Ioannes Hegeman, parochus Beginarum Amstelodami, † 1818.

luntate, quam tuam esse putaret, de qua ipse illi saepe testatus esses? En totam explicationem, quam huius rei equidem dare possum. Miratur, nescit quid de te cogitet, quia capere non potest, quaenam causa sit istius patefactae mutationis, quam in te videtur conspicere. En totum!

Ipse re bene considerata consilium cepit. Non proficiscetur Warmundam...

2. — Quod ad me attinet, dilecte amice, meum consilium captum est. Nosti me non nimia festinatione egisse in elegendo statu, sed de eo iam abhinc aliquot annis cogitasse. Nunc definita est electio, et quia, ut confido, ad Dei voluntatem elegi, iam nil cupio vehementius quam exsequi, quod mihi ratum habeo. Definita est electio mea... non Warmundam ibo, quamvis multi sibi videantur me ibidem iam videre... Ceterum, quod hic de me scribo, non tantum ut nuntium, sed etiam ut secretum scribo. Non est quod amplius dicam. Nosti, amicus cum sis, tuum fidelitatis officium haud minus bene quam ego simplicitatis.

3. — Non habeo quod scribam amplius, nisi quod tibi gratulor de opere quod feria sexta proxima perfecisti.

De R. D. van der Heijden [1], nuper hic sacellano facto, adhuc nihil audivi.

Salutationes.

Parentes te salutari iubent, item RR. PP. qui in De Krijtberg sunt; P. Groenen nondum ad te scribere potest. Beatum tibi precor Festum Paschale et Ferias iucundas. « Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci ».

Tuis me precibus commendo, tibique ex animo dico Vale!

Servus tuus studiosus sincerusque amicus

I. P. Roothaan.

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis, 450. 17 (*Versio ex ling. neerl.*).

(1) R. D. Simon v. d. Heijden, Udensis (1780-1852), sacellanus eccl. « De Posthoorn » 1804-1811.

XVIII. Ad Ioannem Gilles.

1. *In Russia Societati Iesu nomen dabit.* — 2. *Difficultates diu consideravit.* — 3. *A parentibus consilium eius comprobatum est.* — 4. *Defendit R. P. Beckers quem G. oblique accusaverat.* — 5. *Mandata, nuntia, salutationes.*

Amstelodamo, 27 Apr. 1804.

Care amice.

In Russiam proficiscetur, Societati Iesu nomen daturus, cuius rei desiderium singulare a prima pueritia habuit.

1. — Responsum tuum 20° huius ad epistolam meam datum, diu exspectatum, accepi magno cum gaudio eoque maiore, quod in ea placere tibi dicis electionem meam. Coniectura tua, consilium meum esse ingrediendae Societatis in Russia ([1]), iustissima est. Illuc ire cupio. Variis modis, etiam e litteris ab ipso R. P. Generali datis comperi, in Russia occasionem esse adiungendi se Societati Iesu et quoniam a primis annis singulare Societatis desiderium habui, quod nedum minueretur magis magisque in dies augebatur, merito conclusisse mihi videor, hunc esse statum, ad quem Deus me vocaret.

Difficultates vere et serio consideravit.

2. — Diu antequam consilium cepi, nonnullas difficultates, quae ex eo secuturae erant, consideravi. Cogitavi amicis non paucis, qui reclamarent, esse resistendum; reputavi mecum, relicturum me esse patriam, omnes consanguineos, immo parentes meos, quod certe naturae gravius fore videretur. Quin etiam aliquando expertus sum quantum huiusmodi cogitationes valeant. Sed cum iterum Christum audire viderer dicentem *Qui amat patrem suum aut matrem plus quam me, non est me dignus,* atque mente volverem splendida praemia huiusmodi separationis in Evangelio promissa, difficultates omnes mihi tanquam in nihilum evanuerunt.

Patri omne genus difficultates facienti respondit.
Parentes consilium eius comprobaverunt.

3. — Itaque postquam per hebdomadas aliquot in re tanti momenti cogitanda occupatus fui, tandem voluntatem meam primum aperui R. P. Beckers, qui sua eam approbatione confirmavit, deinde parentibus meis, quos antea in multis colloquiis iam aliquomodo praeparaveram. Pater non omisit omnis generis difficultates mihi facere et incommoda ob oculos ponere, quae consilium huiusmodi mox secutura essent. At, favente Deo, omnia antea ita animo evolveram, ut ad ea respondere facillimum

---

([1]) In provincia cui nomen Alba Russia a. 1772 a Catharina II sibi vindicata, Soc. Iesu collegia, ecclesias, missionum Stationes habebat in urbibus oppidisve Dunaburgo, Dagda, Pusza, Polocia, Mohilew, Micislaw, Orszaw, Witebsk, Cholcz, Creczersk, Lozowica, Rasma. In his domiciliis Breve Clementis XIV *Dominus ac Redemptor,* quo Societas Iesus dissoluta erat, ab auctoritate ecclesiastica, singulari Dei Providentia intercedente, non est promulgata. Cum autem a S. P. constitutum fuisset nisi prius Breve D. a. R. in singulis domibus ab episcopis promulgatum esset, Iesuitas liberos non fore, factum est, ut in Alba Russia Societas Iesus dissoluta numquam sit.

mihi fuerit. Sic consilium ratum habitum est, de quo maxime gaudeo. Eius porro exsecutionem maximam duco felicitatem summumque Dei beneficium, quod mereri certo nunquam potui. Verisimillimum est, domicilium meum futurum esse Collegium Dunaburgense, quod itinere trium dierum distat a Riga, quam civitatem itinere maritimo petemus. Mecum eo etiam proficiscetur Pater quidam Henry, qui prius inter Augustinianos fuit, nunc vero venia impetrata mecum Societatem ingredietur. Ad tempus in Brabantiam et Leodium iter facit propinquis vale dicturus, mox cum aliis aliquot, quorum idem est propositum, huc revertetur. Dein verisimile est nos primo quoque tempore profecturos esse.

Mox proficiscetur cum aliquibus sociis.

4. — Cum hisce binas litteras ad te mitto, quas A. R. Pater Generalis ad R. P. Beckers dedit, non quo te stimulem ad nomen dandum Societati, non ita, care amice, hoc procul esto, (in hisce facias quod conscientia tibi suadet), sed ut accuratius de re nostra edocearis. Dicis ex epistola mea te intelligere curam P. Beckers, ut Societas augeatur utque temporis intervallo sibi aliquot adiutores ex Neerlandia faciat. Quod si his verbis intelligis, P[i]. Beckers Societatem cordi esse, verum est neque profecto ullo modo mirandum. At si dicere velles in R. P. Beckers causam quaerendam esse meae electionis, vel me ab eo esse incitatum, sane falleris. Profiteri enim aperte possum, me a R. Patre ad id nunquam incitatum fuisse. Ipse sane mihi occasionem dedit, qua praesentes Societatis res cognoscerem; at nunquam consilium mihi dedit neque quaesivit an voluntatem haberem ingrediendi in Societatem. Quodsi de te ita locutus est, ideo fecit, quia sciebat te saepe ea de re mentem aperuisse tuam, sin minus ipsi saltem R. P. Groenen.

Mittit ad amicum binas litteras A. R. P. Generalis.

Defendit R. P. Beckers quem Gilles oblique conquisitionis accusaverat.

Ipse libere statum vitae sibi ineundum elegit.

5. — Quod attinet ad priorem epistolam tuam, eam accepi posteaquam mea missa iam fuit. Omnem adhiberi iussi operam, ut Antiphonaria anno 1769 edita acciperem, sed nullum omnino exemplar comparare potui. Post illud tempus duae novae editiones factae sunt, quarum posterior curata est a R. D. Lexius, Professore Seminarii Warmundani. Finem faciens salutem plurimam tibi dico, etiam a parentibus. Scribe mihi, quaeso, quam primum potes et remitte etiam cito duas epistolas Patris Generalis. Fieri potest ut hora discessus nostri instet.

Mandata.

Nuntia.

Interea vale. Summo amore tibi coniunctus maneo

dilectissime amice
studiosus servus tuus sincerusque amicus
I. P. Roothaan Litt. S.

P. S. Audivi Dunaburgum, de qua modo scripsi, urbem esse haud incommodam in regione satis fertili sitam. RR. PP. e De

Salutationes.

Krijtberg iusserunt me te salutare. P. Groenen aliquantum melius habere incepit. Pedum et manuum dolores vi electrica multum levati sunt; ceterum optime valet.

ARCH. SOCIETATIS IESU, BRUXELLIS. 450. 18 (*Versio ex ling. neerl.*).

XIX. AD IOANNEM GILLES.

Amicum raptim profectionis certiorem facit.

Amstelodamo, 7 Mai. 1804.

Amice honoratissime.

Profecturus est Dunaburgum fer. III mane h. 8.

Raptim hisce tibi nuntiem oportet, diem profectionis meae constitutam esse feriam tertiam proxime secuturam, mane hora 8ª, Amstelodamo. Nisi a feria sexta superiore discessus tempus mihi notum non fuit. Laus Deo, quod hora prope est. Is, cuius gloriam unice quaero, ipse me deducet, ut spero, in via quam mihi designavit. Plene respondere ad postremas litteras tuas nunc prae multis negotiis non possum; Dunaburgo responsum exspecta. Per aliquod tempus patientiam habeas, tum nova scribam. Precibus tuis me commendo continuandaeque amicitiae. Epistola brevior est, non ideo minus sincerus animus. Quod sane dictu necessarium non erat, quia haud dubito quin de meo amore plane persuasum tibi maneat. Vale, usque Vale!

Servus tuus devotus fidusque amicus

I. P. ROOTHAAN.

P. S. Parentes mei te salutant. Inconditis litteris ignoscito.

ARCH. SOCIETATIS IESU, BRUXELLIS. 450. 19 (*Versio ex ling. neerl.*).

XX. Ad Professorem Davidem Iacobum van Lennep.

Amstelodamum relicturus ut in Russiam iter faciat, ei valedicit, gratiasque quam maximas agit pro omnibus beneficiis ab eo acceptis. Salutatos vult etiam per eum omnes condiscipulos.

Amstelodamo, 28 Mai. 1804.

Venerande Domine ac Professor benevole.

Eum adire non iam potuit. Litteris Ei gratias agit eique et condiscipulis valedicit.

Quamquam Tua in me singularis benignitas vetat me re non communicata hinc abire, tempus tamen mihi defuit, quo rite, ut par erat, Tibi valedicerem. Feria equidem sexta superiore etiam putabam fore, ut vespere hora VIII Tecum et cum ornatissimis scholasticis colloqui liceret, hodie autem statutum est, ut cras mane hora VIII ex hac urbe profecturus sim ad conscendendam navem, cui nomen Iacobus Zeeper, nauarchus Gerben Martens. Iterum itaque hisce gratias Tibi ago sinceras, maxime pro cura et diligentia Tua. Nisi molestum est, Domino Nooy, quaeso, observantiam meam confirmes. RR. PP. Iesuitae, qui hac in urbe Ecclesiam Rom. Cath. quae dicitur « De Krijtberg » administrant, mihi mandaverunt, ut Tibi ipsorum quoque gratam voluntatem referrem atque affirmarem, nomen Tuum perpetuo in tabulario tam Domus « De Krijtberg » quam Societati conservatum iri (1). Ignoscas, precor, manui nimis festinanti et horae

---

(1) His litteris v. cl. dilectum discipulum Patribus Soc. Iesu commendavit.

REVERENDIS PATRIBUS E SOCIETATE IESU

S. P. D.

David Iacobus van Lennep,

in illustri Amstelodamensium Athenaeo

litterarum humanarum Professor.

I. P. Roothaan quatuor annis huius illustris Athenaei civis fuit quo tempore cum mihi, tum aliis praeceptoribus suis se ita probavit, ut dilectissimum discipulum non nisi inviti a nobis dimittamus. Sed quum trivialium litterarum omnem iam curriculum emensus, animum ad severiora studia, maxime quidem ad Theologica adverteret, iis autem in hac urbe promovendis neque locus satis idoneus neque occasio esset, alium locum alias occasiones circumspiciens, omniaque rite perpendens, tandem ad Vos, Viri reverendi, studiorum causa, se conferre, Vos sanctissimos prudentissimosque duces ac magistros sequi constituit. Noram equidem, noram profecto, quanta essent vestrae Societatis ab antiquo tempore in omnem literariam rempublicam, in omnes bonas artes atque disciplinas egregia et numquam obliteranda merita. Noram esse illud vestrae rationis atque institutionis decus,

tribuas, si litterae non eo modo scriptae sunt quo decet. Vale et fruere omnibus illis bonis, a Deo datis, quae Tibi exoptatissima et maxime salutaria sunt.

Tuus servus devotus et discipulus beneficiorum memor

I. P. Roothaan.

P. S. - Neque a Te petere vereor, ut Dominis Scholasticis, maxime quibuscum mihi contigit ut collegiis feriae sextae interessem, salutem a me dicas, utque illis me excuses eo quod tempus defecit, ne rite ab illis discederem.

---

ut vel maximos nominis vestri obtrectatores subinde in laudationem sui verteret; tum et veterem illam gloriam vos servare tuerique intactam, novis etiam meritis augere, constans apud non ferebat fama.

Iam vero is est I. P. Roothaan, ut si ad praeclaras illas animi ingeniique dotes, quibus nunc iam eminet, talis, qualem vestram esse audivimus, institutio accedat, nihil non egregium ab eo sperari exspectarique possit. Etenim litteras Graecas et Latinas non, ut multi solent, leviter attigit, sed in eas prorsus se insinuavit; nullum non intelligit scriptorem, ad nullius vim ac stylum non assurgit. In Cicerone, Demosthene, Platone, Graecis etiam tragicis ita versatus est, ut accuratius fieri non possit. Auctores etiam veteres non ad animi tantum oblectationem sed ad usum etiam fructumque vitae legere nihilque non eo conferre solet. Porro, quum per se iam acri iudicio valeret, illud etiam Logicae Dialecticesque et omnis omnino Philosophiae scholis frequentandis acuit in dies atque exercuit. Animi vero dotes habet eas, ut pleniorem officii, probitatis, humanitatis, mansuetudinis adolescentem, non modo nullum unquam viderim, sed ne cogitare quidem possim.

Illum igitur adolescentem, illum, inquam, multis mihi nominibus acceptum, vobis iam, Reverendi Patres, maiorem in modum commendo. Faxit Deus Opt. Max. ut ei per vos potissimum doctrinarum atque virtutum omnium quasi cumulus accedat, atque reducem aliquando videamus, illis iam locupletatum bonis, quorum acquirendorum spe profectionem ad vos longam et periculosam instituit.

Valete. Scribebam Amstelodami
ipsis Idibus Maii MDCCCIV.

Clarissimo Domino, Eruditissimo Viro Davidi Iacobo van Lennep
S. P. D. T. Brzozowski S. I.

Advenit feliciter, et ad nostra studia accessit Ioannes Philippus Roothaan tantopere a Te, Vir humanissime, nobis commendatus. Literae illae Tuae elegantissime scriptae, quibus illustre tribuisti testimonium ingenio et animo Iuvenis, a multis lectae, omnibus mirifice placuerunt, ita quidem ut etiam ad R. Societatis nostrae Praepositum Generalem perlatae fuerint. Vehementer hic quoque iis delectatus, iussit me et gratulari Tibi, quod Tuis praesertim institutionibus adolescens ille adeo egregie in litteris profecerit, et gratias Tibi agere, quod tot spatiis a Te disiunctos singulari Tuo nos prosequaris studio et amore. Utrumque, quod in mandatis commissum mihi fuit, libens praesto ea fide et grato animo, quem a devinctissimis Tibi iure postulaveris. Deus O. M. servet Te, Clarissime Domine, sospitem ac incolumem ut de literaria republica, deque civitate Tua optime meritus in seram aetatem liberalissimos experiaris Tuos Patronos hos omnes, qui nunc Discipuli Tui sunt carissimi.

Petropoli, IV Nonas Octobris MDCCCIV.

XXI. Ad Parentes, Mathiam et Mariam Roothaan.

1. *Itineris narratio.* — 2. *Incommoda et nausea.* — 3. *Maxime contentus iter persequitur.* — 4. *Mandata, salutationes.*

E Vlie, die 2 Jun. 1804.

Parentes carissimi.

1. — Tandem aliquando, nos in Vlie (1) advenisse, nuntiare possum. Feria IV hora vespertina septima cum dimidio ancora sublata iter ingressi, tantum vento secundo duodecim horis proficiebamus, ut intra tres horas ad Vlie pervenissemus, nisi feria V hora matutina octava ventus conversus fuisset; qui cum inter septentrionem et orientem flaret tempestate oborta, nos ancoram iacere et usque ad sabbati horam matutinam quintam consistere coegit. Nostis profecto, praefectum navis, nobis conscendentibus, tabulas suas nondum composuisse; haec sola causa erat quare per tantum tempus retenti simus. Profecto si statim e portu solvere nobis licuisset, veri simile est nos iamdudum in Mari Germanico navigaturos esse. Feria III, hora vespertina sexta, nos et navis praefectus, cui Amstelodami tabulae componendae erant, Neodamum vecti in domo Parochi Gerardi de Goyer O. S. Aug. usque ad horam octavam morati sumus. Dein ad navem reversi hora decima cum dimidio cubitum ivimus. Cum autem cubicula nobis assignata interim ab uxore navarchi eiusque duobus liberis, qui in navi hac die manserant, occupata essent, suavi somno uti non potuimus. Pater Henry (2) satis bene noctem egit, ego et Dominus Malevé (3) in caveam ducti sumus, tam angustam et tali lecto ornatam, ut recumbere nobis minime placeret; in scamnis proinde vel in solo iacentes noctem traduximus. Ego, quod somnum capere non poteram, hora secunda cum dimidio surrexi et modo Amstelodamum modo ad Hollandiam modo ad mare oculos circumferens, laetus solem orientem exspectabam.

In Vlie advenit.

Incommoda quaedam itineris.

Neodami recepti sunt a R. P. de Goyer O. S. A.

2. — Iam scire sane cupitis quomodo valetudo nostra se habuerit. Respondeo: D. Malavé male valuit, ego melius, Pater

Nausea vexati laeta conversatione et lectione spirituali sese recreabant.

(1) Pars freti, quod inter insulas Vlieland et Terschelling intercedit.

(2) Ioannes Henry, Oponti (in Lucemburgo) anno 1765 natus, Societati Iesu nomen dedit die 18 Iunii 1804. Primum Amstelodami, postea in variis regionibus Americae Septentrionalis missionarius fuit. Obiit mense Martio d. 12 a. 1823.

(3) Melchior Malevé anno 1774 in Brabantia natus, posteaquam partes Patrum Fidei secutus est, Societati adscriptus est die 18 Iunii 1804. Missionarius fuit Astracani, ubi e vita discessit die 12 Augusti 1817.

Henry optime! D. Malevé feria quinta prima iam luce mihi dixit se nausea valde vexari, ego morbum postquam surrexi sensi, Pater Henry vix aut ne vix quidem. Primus per duos dies aegrotus fuit, ego feria sexta mane iam convalescebam, Pater Henry per totum fere tempus bona valetudine usus est. Hic tum officiis praestitis tum laeta et grata conversatione nobis bonus socius fuit. Aliquando e vita S. Fr. Xaverii, a R. P. Horatio Tursellino scripta, capita aliqua recitat, quae profecto valent si non ad morbos sanandos, saltem ad omnes cogitationes morbi expellendas.

Maxime contentus est.
« Charitas Christi urget nos ».

3. — Quodsi queritis an contentus sim et quid agam, simpliciter ad utrumque respondeo : optime. Charitas Christi nobis cibos iniucundos delicatos reddit, si de delicatis cogitare licet. Eadem tabulas culleumque in dulcem et commodum lectum mutat; cum ea vel morbus ipse nobis gratior fit, quam sine ea optima valetudo, denique nos navi tam contentos effecit, ut neque ego neque quispiam nostrum Amstelodami nunc versari velimus. En, verum dico. Ceterum mihi maior vestri quam mei cura est. Spero fore ut Deus, qui et parentibus amorem liberorum inseruit et me in Russiam (quod puto) vere vocavit, vos confirmet et consoletur. Praeterea vobis suadeo ut sorte vestra tam contenti vivatis quam ego mea. Certum est enim me, etiamsi Amstelodamum reversus omnibus mundi voluptatibus perfruerer, tamen Russiam praelaturum esse neque tristius quidquam mihi accidere posse quam si desiderium meum impediretur. Valete, parentes carissimi, neque de me solliciti sitis.

Vobis addictissimus et subditissimus filius
I. P. Roothaan.

Salutationes. Mandata.

4. — P. S. - Salutem reverenter a me sociisque meis carissimis dicite, quaeso, R. P. Beckers, R. P. Groenen, aliis Patribus. DD. Malevé et Henry vobis etiam salutem dicunt; quorum hic multum delectatur tabaco, quod Frater (1), nobis procuravit. Ambo eum de nostra recordatione certiorem factum volumus. Deinde salutem velim meo nomine dicatis omnibus cognatis amicisque, qui de me quaesiverint vel studiis suis nos prosequantur. Maximas autem avunculo Meylinck pro sua erga me benevolentia gratias referatis. Probi sunt qui nobiscum navigant homines, probissimus navarchus.

Excusate male scriptum, mari turbato tribuite. Videtis, ni fallor, me non scripsisse Amstelodami in cubiculo Viae Lau-

(1) Albertus Roothaan, frater Ioannis, maior natu, 1783-1847.

reae, quamquam etiam hic nostrae ut istic ianuae inscribendum esset « bokwat » [1].

P. S. - Inter nos prorsus constat, si artem saltandi callere necesse ante esset quam in Russiam pervenissemus, haud sane in nostra hic cellula nos ea institui posse. Valete!

Iocose dictum.

XXII. Ad parentes, Mathiam et Mariam Roothaan.

Narrat itineris eventus a Vlie usque ad Zond. Incommodorum solatium est voluntas Dei vocantis.

E Zond, die 10 Jun. 1804

Parentes carissimi.

Iam vobis nos in Zond advenisse magno cum gaudio nuntio. Feria II die quarto huius mensis e Vlie profecti secundis ventis quamvis remissis usi sumus, quibus deinde continuo invalescentibus intra quattuor dies oceanum quantum opus fuit traiecimus. Danicum tantum sinum ut transfretaremus reliquum erat. Is angustus, difficilis, frigidus, ventosus, malus sinus est, quemadmodum per duos dies et dimidium experti sumus. Si frater adfuisset, pro certo habete, eum non parum questum fuisse se voluptatis causa iter huiusmodi suscepisse [2]. Nobis ob graviorem causam iter facientibus aliter res se habuit. Cum Dei voluntatem facimus, a Deo semper iuvabimur, quaecumque nos maris vexationes fatigant. Spero hanc cogitationem vos quoque consolaturam esse de dolore profectionis meae.

Mare primo tranquillum tum turbulentum fuit.

Voluntatem Dei vocantis et sibi et parentibus solatio fore sperat.

Scire cupio quomodo vobis sit. Quocirca Patrem rogo, ut occasionem quaerat epistulae mittendae Rigam, ad tabernam Sukerbakker & Klein, quo cum pervenero eam inveniam. Terram prospiciens iam omnino ex nausea recreor, qua gravius laboravi cum navis fluctibus iactaretur. E Vlie scripsi occasionem saltandi hic deesse, nunc vero alia sum expertus! [3].

Desiderat parentum litteras.

Nausea laboravit.

Epistula e nave emittenda est, quapropter finem facere cogor. Praesidio Dei omnipotentis vos commendo. Valete parentes carissimi.

Filius studiosus atque amantissimus

I. P. Roothaan.

---

(1) I. e. « inclinare parumper ». Huiusmodi monitum in superioribus tabulatis antiquarum domorum Hollandiae super ianuas parum altas legi solebat, ne qui intrabat caput offenderet. Domus familiae Roothaan in Via Laureae sita erat.

(2) Albertus Ioanni valedicens se per iocum « iucundae excursionis socium » obtulerat.

(3) Cfr. P. S. ep. XXI.

Salutationes.

P. S. - Meis, quaeso, verbis salutem dicite RR. Patribus in De Krijtberg degentibus; item occasione data D. van Lennep, item fratri ceterisque propinquis. Etiam a sociis itineris plurimam salutem adscribo. Male scribentem excusate, quaeso. Valete.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

XXIII. AD PARENTES, MATHIAM ET MARIAM ROOTHAAN.

1. *Domo Societatis Rigensi intrata dulci perfunditur gaudio et consolatione.* — 2. *Singulos cognatos et amicos salutat.*

Riga, 21 Iun. 1804.

Parentes carissimi.

Rigam in ecclesiam P. P. S. I. advenit.

1. — Primum mihi consilium erat ad R. P. Beckers has litteras mittere, sed cum R. P. Henry nomine omnium nostrum ei scripturus sit, mutato proposito inscriptionem etiam mutavi. Ignoscatis, quaeso, lineis. Cursu feliciter peracto heri vespere hora 8 huc pervenimus. Nihil iucundius erat, quam pedem reponere in terra, postquam tam diu super aquas fueramus. Omnia nova esse videntur, quibus maxime delectamur; veris viriditas, cantus avium, omnia suavissima sunt. Molestiarum, quas mare afferre solebat, iam obliti, reviviscere nobis videmur. RR. PP. Societatis, qui hic sunt (1), maximo amore, maxima humanitate nos exceperunt; rebus omnibus, quas quis optare potest, laeti hic fruimur. Veri simile est nos feria III proxima hinc profecturos. Deo gratias! Tandem aliquando voti mei compos fiam nec satis apte referre possum, quanta sit mihi hac de re delectatio. Ex paucis Patribus qui hic sunt, omnes nosse disco; ex eorum modestia, coniuncta cum hilaritate, Societatis video notam propriam, qualem mihi semper mente depingebam. Numquam sane tantam felicitatem merui!

Gaudio perfunditur et consolatione.

Mox domum probationis intrabit.

Discrimen temporum dierum festorum.

Proxima die Dominica Festum Pentecostis celebrabimus. Nonne mirus vobis hic videtur saltus? quod quis Festum Sanctissimae Trinitatis Amstelodami peregit ac mox ipso illo anno Rigae celebrat Pentecosten; nonne aenigma est (2)? Omnia

---

(1) Rigae erat parva Societatis domus, cui tunc Rector praeerat Pater Iosephus Kamuenski, n. 1763, ingr. 1780, ob. Rigae 1813.

(2) Hoc dierum festorum temporum discrimen situm erat in kalendariis. In Russia etiam tum vigebat antiquum kalendarium, cum in aliis mundi regionibus ab anno iam 1582 Gregorianum adhiberetur. Unde illarum dies festi alter ab altero 12 diebus distracti erant. Pater Roothaan in epistolis aliquando utrumque diem designavit.

hic valde bene se habent et quod ad me attinet, cum id vestra maxime intersit, omnino contentus sum; securi estote. Nec vobis maiorem felicitatem precari possum quam qua ipse fruor.

2. — Nescio an in Novitiatu crebro scribere liceat; semper autem, ut spero, vobis facile erit cognoscere quomodo valeam, utique per R. P. Beckers. Equidem audire cupio an vobis bene sit, et confido fore ut R. P. Beckers vestri non obliviscatur. Ei iterum dicatis velim reverentiam meam et grati animi memoriam. Secus atque mihi proposueram iam hinc ad aliquos amicos litteras dabo, quia forsitan Duneburgi occasio non detur; inclusas quaeso mittatis ad eos quibus inscriptae sunt. Nunc non multum tempus habeo: primam vero occasionem sine dubio non praetermittam, quin vos de me certiores faciam, sin minus ample breviter saltem. Salutetis velim omnes, potissimum fratrem, tum eos qui maxime nobis coniuncti sunt, avunculos et materteras Meilinck et ter Horst. Salutate etiam qui de me quaesierint. Oretis pro me sicut ego pro vobis oro. Valete! Salutationes, mandata.

Filius vester reverens et amantissimus
I. P. ROOTHAAN.

P. S. - Vestes stragulas mecum ferre non potui; qua re navis praefectus mihi promisit, se illas cum rediisset vobis esse redditurum. Quoniam ipse modo facere nequeo, scribat velim Pater meo nomine D.° Gilles id unum, omnia hic exspectationem meam superare. Inscriptio erit: Adr. van Miert, in via Ginneken. Breda G. (1) Si Pater in aliquem inciderit, qui salutem a me exspectet, dicat quaeso, etsi eius mentionem non fecerim. Facile quis omittitur; quod semel dictum esto.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) Voto filii obtemperans, Mathias Roothaan D° Ioanni Gilles has litteras 9 iul. dedit.

Amstelodamo, 9 iul. 1804.

Domine.

Amicitia sincera, quae tam longo tempore tibi cum filio meo intercessit, licet eius profectione quasi interrupta sit, eadem tamen in animo eius etiam nunc perdurat: quod ostendit in epistola, quam ad me nuper dedit, in qua petiit ut te certiorem facerem de vita quam hodie agit. Advenit Rigam 20 Iun. vespere hora 8. Quae sequuntur eius ipsius verba sunt. « Nihil iucundius erat..... nunquam mereri potui » (vide supra).

En Domine. Malui eius ipsius verbis uti, ut condicionem eius notam tibi facerem et ut etiam participem te facerem gaudii mei, quod filium meum ita felicem contentumque videam. De tua erga eum voluntate persuasum mihi est.

Servus tuus MATH. ROOTHAAN.

ARCH. SOCIETATIS IESU, BRUXELLIS 450. 20. (*Versio ex ling. neerl.*).

EPISTOLAE A IOANNE ROOTHAAN SCRIPTAE ANNIS 1804-1818, QUIBUS AD VITAM APOSTOLICAM S. I. SE PRAEPARAVIT.

XXIV. Ad R. P. Adam Beckers.

Gratias agit R. P. Beckers pro consiliis sibi datis. Gaudio perfunditur et exsultat laetitia, suavi Societatis spiritu percepto.

Dunaburgo, 3 Iul. (novi styli) 1804.

Reverendissime in Christo Pater.

Gratias agit R. P. Beckers.

Itinere feliciter confecto, cum tandem eo in loco constitutus sim, in quem Dei Bonitas me vocavit, deesse occasioni non possum testandi Rev. V.ae quam grato animo memor sim cum omnium beneficiorum quae a puero ab ea accepi tum maxime me post Deum Rev. V.ae debere beatam vitam, qua nunc perfruar. Inter alias res, quae hic in Novitiatu inveni, admiror alacrem illam obedientiam et modestiam, quae me pietatis sensu maxime afficiunt et confirmant opinionem, quam semper de Societate habui tam ex iis quae R. V. mihi nonnunquam narravit quam ex Societatis regulis, quas R. P. Groenen benigne mihi legendas dedit. Verus Societatis spiritus ne in minimis quidem rebus remissus est. Non habetur sermo nisi de amore Dei et de subicienda voluntate propria sanctissimae Dei voluntati. Quod si mente praecepissem omnia hic tam bona fore quam revera sint, vel etiam quod ad corpus attineat, sane timendum fuisset, ne humanum consilium, cum Dei vocem sequi mihi viderer, me decepisset et ad hanc vitae rationem ineundam impulisset. At Deo sit gloria! Quaecumque dificillima sunt mihi depinxeram, experior contraria.

Gaudet et laetatur nova vita inita.

Rectori se totum committit.

Habemus Rectorem (1), quem video paterna in nos ferri sollicitudine, cui me totum committere et animum aperire cupio. Dixit se semper praesto fore, de quacumque re consulere eum voluerim. Memori et reverenti animo

Rev. Pater servus tibi devotus

I. P. Roothaan.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Vers. ex ling. neerl.*).

---

(1) Domui probationis Rector et tironum magister praeerat P. Iacobus Rogalinski (n. 1761, ingr. 1783, ob. Puszae 1813), cuius socius erat P. Anselmus Eckart (n. 1721, ingr. 1740, ob. Dunaburgi 1809).

XXV. Ad Parentes Mathiam et Mariam Roothaan.

1. *Dunaburgi domo probationis gaudii plenus receptus est.* — 2. *Collegium et ecclesiam describit.* — 3. *Vota, preces, salutationes.*

Dunaburgo, 4 Jul. 1804.

Parentes carissimi.

Dunaburgi domo probationis receptus gaudio perfunditur.

1. — Postquam a die 20 Julii ad 27 Rigae apud RR. PP. ab itinere requievimus, inde profecti sumus feria quarta die 27 et multo vespere diei 30 Sabbato huc pervenimus. Recepti sumus ea pietate quam Rigae experti Dunaburgi nos inventuros esse exspectavimus. Quanta beatitudine fruar dicere nequeo. Verus Societatis spiritus et diligens regularum S. Ignatii observatio in hac domo omnino vigent. Non habetur sermo nisi de amore Dei et de studio faciendae sanctae Eius Voluntatis, etiam in rebus dificillimis. Omnia me pietatis sensu afficiunt. Prompta alacritas, qua novitii officia explent, animi tranquillitas, quam quasi ab eorum vultu elucentem vides, optimi mihi exempli sunt.

Omnia eum pietatis sensu afficiunt.

Collegii et ecclesiae descriptio.

2. — Pulcherrimum collegium nostrum in circuitu tantum patet quantum curia Amstelodamensis; constructio gravis et simplex est, ecclesia egregie aedificata. Duas magnas in fronte turres habet, tertiam minorem in postico; maior est quacumque ecclesia catholica Amstelodami, altaria habet undecim, quorum sex apposita sunt columnis, quibus sustinetur. Cubicula ampla sunt, commoda, aptissima sanitati. Omnis cura adhibetur vitandi frigoris a quo proinde tutus sum. Audio collegium Polocense multo etiam esse maius. Quod quidem ex eo intellegi potest, ibi in focis curandis 30 (¹) homines occupatos esse, qui nihil aliud agendum habeant et a duobus fratribus coadiutoribus regantur. Bibliotheca quingenta librorum millia continet, inter quos optimi quoque inveniuntur, in quibus acquirendis neque sumptibus parcitur neque labori. Sic numero et valore usque augetur. In illo collegio scholastici nostri habitant.

Alacri animo perfectioni religiosae assequendae operam daturus est.

3. — Hic autem Dunaburgi ita spectatur animi emendatio, ut ad tempus litterarum studia intermittenda mihi sint iisque solis rebus opera danda, quae ad eam pertineant. Faxit DEUS ut hoc beatum tempus bene impendam illasque virtutes acquiram, quae tantopere necessariae sint ei, qui sui muneris esse putet aliquando cum fructu in salutem aeternam proximorum incumbere. Perspicio quam beatum hoc tempus sit quantosque

(¹) Profecto fama Polocia eundo Dunaburgum aliquantum crevit!

thesauros colligat qui eo bene utatur. Ago nunc etiam iucundissimam vitae meae partem. Utinam vobiscum meum gaudium communicare valeam! Deum pro me orate, ut tanta gratia, qua ad tam sanctam vitam me vocaverit, bene utar; secus enim haec ipsa mihi gravissimae damnationi esset. Nunquam equidem officium pietatis erga vos obliviscar. Salutem plurimam vobis dico; fratri quoque, familiae amicis. Valete parentes carissimi

Salutationes.

Filius devotus ac pius

I. P. Roothaan Nov. S. I.

P. S. - Rigae D. Klein, cui D. van Lennep me commendaverat, valde officiosus in me fuit. D. van Lennep prima occasione gratias acturus sum. Heri hic festum S. Aloysi celebratum est.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. Neerl.*).

XXVI. Ad R. P. Adam Beckers.

1. *Magnam animi cepit voluptatem de Sollemnibus, in honorem Sti. Parentis Ignatii Amstelodami habitis; res Societatis bene procedunt.* — 2. *Dici vix potest quanta in tirocinio incedat laetitia.* — 3. *Ordo diurnus novitiorum.* — 4. *De suis, quos Amstelodami reliquit, nisi in orationibus non cogitat.* — 5. *Vota, salutationes.*

Dunaburgo, 30 Nov. (N. S.) 1804.

Reverendissime in Christo Pater.

Duae litterae a R. P. Beckers datae Dunaburgum pervenerunt; aliae allatae non sunt.

1. — Die 11, novo stylo 23 Nov. cum gaudio duas epistolas a Rev. V.ª accepi. Altera Amstelodamo missa erat, feria tertia 30 Oct., altera die circiter 24 Iul. Nec parvam mihi admirationem fecit quod eodem tempore epistolae tam diversis diebus scriptae, allatae sunt. Ex honorata epistola 30 Oct. intellexi, a Rev. V.ª etiam alias litteras ad me missas fuisse, quae adhuc non pervenerint. Ex quo profectus sum, Amstelodami nova evenerunt satis multa, quorum equidem testis de visu libenter fuissem, etsi ceteroquin minime queror quod patriam civitatem reliqui. Dico festiva sollemnia quae ibi et quidem magnam par-

Gaudet splendore quo festa S. Patris Ignatii Amstelodami habita sint.

Res Societatis Romae bene procedunt.

tem in ecclesia Rev. V. locum habuerunt. Filius S. Ignatii non potui non moveri, cum audirem, quo splendore eius dies festus a Rev. V^a^. celebratus sit. Decet sane venerationi S. Patris nostri splendorem addi, quo tempore eius filii auctoritate Romani Pontificis augeantur numero et honore. Videntur Societatis nostrae res futurae in dies magis clarescere. A quo tempore heic sumus boni nuntii alius alium fere sine intermissione excipit. Eos R. P. Henry (1) cum Rev. Va. tam abundan-

(1) En excerpta quaedam de epistola Rev. Patris Henry, quam Riga scripsit.

Heri huc pervenimus. Nauarchus, quantam optare potuimus curam nostri egit. Iter ipsum quamquam satis diuturnum prosperum fuit.

Satis laudare non possumus, quo hic modo recepti simus. Proficiscemur proxima feria III, postridie Pentecostis: quod festum in Russia proxime futura Dominica celebrabitur. Dunaburgum modo 32o milliario a Riga distat. Comitabitur nos unus e Rev. Patribus, apud quos nunc versamur, qui Polociam rediet ut munus docendae philosophiae denuo suscipiat.

Omne, quo hic versatus sum, tempus consumpsi in sciscitando de Societate Iesu. Certius nihil est quam Summi Pontificis propensa in Societatem voluntas; quam primum potuerit Iesuitas mittet ad omnes Principes, qui eos requisiverint; sperat fore ut ab omnibus requirantur utque satis numero Socii Iesu inveniantur qui mitti possint. Quod noviciatus in Russia erectus est post Breve Clementis XIV, unus ex iis eventis est ob quae Divinam Providentiam satis admirari non possumus, quae quod vult conservare eisdem auxiliis conservat quae adhibentur ad perdendum. Inimici enim Societatis cum scirent Metropolitanum Russiae nobis infensum esse, ei suppeditaverunt Breve, quo ei iurisdictio in omnes religiosos data est. Sic putabant fore ut etiam ramum parvum, quem Breve de solvenda Societate intactum reliquisset abscinderent. Metropolitanus igitur mandatum ostendit imperatricis ministro. Qui cum dolore videns mortem Iesuitas, qui tum superessent, abrepturam esse, occasione usus, rem ad Imperatricem detulit, quae Metropolitanum certiorem fecit, gratissimum sibi fore si in suo regno Iesuitae non exstinguerentur. Secuta est novitiorum admittendorum concessio.

R. P. Kranzl mihi haec narravit, quae ipse a quodam Iesuita audivit qui rem totam ab ipso fratre de quo agitur cognovit. Cum A. R. P. Generalis Retz iamiam moriturus velut secum ipse loqueretur de Societatis interitu, qui futurus erat in Lusitania, Hispania etc., *finem fecit dicendo, fore ut Societas non nisi filo penderet, filum tamen abruptum non iri.* Ille qui aegroto aderat frater infirmarius, ratus eum mente captum esse, de his verbis quae audierat nihil nisi multo post dixit, cum videret tempestatem in Societatem exoriri coepisse.

Iesuitae qui hic tres sunt, a tribus tantum mensibus in urbe versantur, ut civitatis ecclesiam administrent. Protestantium secta eiusque ministri nullius momenti iam sunt ne inter ipsos asseclas quidem; quo magna nobis spes est, ut templum collegiumque recuperemus, quae ante hos 50 annos Societatis erant.

Multi Iesuitae Germanici, qui Russiacum frigus non timent, rursus militiam capessunt sub S. Ignatii vexillo. Hic quoque invenimus concionatorem Germanicum, R. P. Kranzl e Bavarica Provincia, qui canonicus cum esset Neuburgi prope Ingolstad, tres ante hebdomadas huc venit. Dunaburgi inveniemus R. P. Eckart e Provincia Rhenana Superiori, qui venerabilis senex (natus est anno 1721) novem ante menses e civitate Augustana advenit. Is cum laboraret in missionibus Americae Meridionalis, in manus incidit famosi viri Pombal atque annos 17 degit in carceribus S. Iuliani in Lusitania.

Novitiatus translatus est Dunaburgum, praeter aliquos novitios, qui retenti sunt Polociae; paratur aedium Dunaburgensium amplificatio. Haec civitas, ut dicitur, exigua est; non plures centum studiosi sunt. Polocia autem studiis floret. Cum iis qui in convictu degunt minimum 500 studiis incumbunt; alia collegia Societatis una simul eundem fere numerum perficiunt.

ter communicabit, ut ego securus calamo parcere possim. Faxit Deus ut Societas nostra, suo splendori restituta, ad illas regiones extendatur in quibus antea laboravit atque eo etiam ubi nondum fuit, ad maiorem Dei gloriam.

Suavi animi voluptate fruitur de vitae ratione in Societate suscepta.

2. — Voluptas, qua fruor quod in hac S. Societate vitam ago, ineffabilis est. Utinam fideliter respondeam gratiae vocationis meae, qua Dei erga me bonitatem in dies magis admiror. Ipsa experientia magnitudo beneficii huius optime intellegitur. Quo modo non gaudeam de ea vitae ratione, quam viri eximii, qui insignem locum in S. Ecclesia obtineant, tam ardenter sequi cupiant, posthabitis summis honoribus et muneribus? Mirum Rev. Vae. non videbitur, tempus mihi prae gaudio incredibili celeritate praetervolare videri. Nisi solis ortus occasusque ac frigidum anni tempus mihi persuaderent, non facile crederem iam esse quinque menses, quos in Novitiatu peregerim.

Ordo diurnus novitiorum.

3. — Continuatio variorum exercitiorum profecto etiam in causa est. Tertia diei pars quieti nocturnae datur, cum caelum hic longiorem quam alibi somnum exigere videatur. Hora 5 matutina tintinabulum movetur, mox unumquemque e dormitorio procedentem vides, quod quandoque imaginem « carnis resurrectionis » menti meae obicit. Primum postquam surrexisti munus est, ad templum te conferre, ad SS. Sacramentum adorandum, quod ceteroquin saepius per diem fit et profecto unum est e maximis beneficiis, quibus in hoc statu frueris, opportunitatem dico saepissime ad illum thronum gratiae accedendi. Loti conveniunt in communem novitiorum per totum diem locum. Ibi relegunt puncta meditationis, quae incipit hora 5.1/2. Hora 6.1/2 dato signo ad meditationem absolvendam per quartam horae partem eius examen fit; reliquum tempus liberum est ad horam 7, cum Sacrum incipiat. Post Sacrum recitantur « annus caelestis » aliaeque preces; sequitur ientaculum, tum visitatio SS., quae semper fit posteaquam in refectorio fuimus. Dein exercitatio memoriae ad 8.1/2; hora 8.1/2 explanatio regularum S. I. vel exercitatio latina. Illa habetur a R. P. Rectore, haec a ven. sene P. A. Eckart, qui posteaquam per annos 4 missionarius in America [1] fuit atque per 18 annos carceris [2] aerumnas pertulit in Lusitania, nunc Magistro Novitiorum socius adest. Ab hora 9 ad 10 studium privatum linguarum. Polonica cum hic sit patria lingua, equidem ei operam do. Hora 10 lectio Rodericii; 10.1/2 tempus liberum, 10.3/4 examen genera-

---

(1) In Paraguay inter Guaranios.

(2) S. Iuliani, quo ab Ecclesiae persecutore Pombal cum aliis iesuitis detentus fuerat.

le, 11 prandium, dein colloquia. Horis 12.3/4 examen particulare, 1. manualia seu officia domestica, 2.1/2 Toni [1] (quid sit, sane novit Rev. Va.) vel exercitatio latina, quae si non fiunt, manualia continuantur usque ad horam 3. Quarta post hora corona B. M. V., tum haustus, lectio Rodericii. Hora 4.1/2 meditatio usque ad h. 5, dein legitur vita alicuius Sancti e Societate Iesu. Hora 5.1/2 studium privatum linguarum, 6.1/4 examen particulare, 6.1/2 coena, post quam colloquia ad 7.3/4. Tum universum collegium convenit ad litanias omnium sanctorum recitandas. Dein materiam inspiciunt meditationis diei insequentis, 8.1/4 examen generale; 8.1/2 finis diei imponitur adorando Sanctissimo. Hora 9 visitator circuit. Feriae tertia et quinta, cum recreationis dies sint, plerumque post meridiem deambulatum exeunt per unam alteramve horam. Hisce diebus et etiam Sabbato, Dominica, ceterisque omnibus quibus confitentur vel communicant, post meridiem loco Rodericii alius auctor legitur, qui discriminis gratia dicitur « extraordinarius ». Ad id suum quisque singularem auctorem habet, sibi a R. P. Rectore designatum.

Novitiatus tempus felicissimum est.

4. — En Rev. Pater, communia in quibus dies agitur exercitia. Revera omnia cum tanta laetitia et ex tanto amore fiunt, ut clare intellegam quam vere dixerit Rev. Va., posse Novitiatum dici vitae nostrae tempus longe iucundissimum. Nec quidquam sane felicius quam sic esse omni sollicitudine liberum, ut de nulla prorsus re nisi de Deo deque te ipse cogitandum habeas. Ut ingenue loquar, fateor et quidem libenter, Amstelodami me iamdudum oblitum esse. Ex eo autem Rev. Va. ne concludat, te mihi memoria excidisse. Avertat a me Deus tale ingrati animi dedecus! In precibus quas ad Deum facio non autem alias, aperte dico, memor sum amicorum et benefactorum, inter quos Rev. Va. maxima profecto consideratione digna est, cum ob paternam curam, quam mei per annos complures habuit, tum quod beatam vitae rationem ad quam vocatus sum, post Deum certe Rev. V.ae debeo. Semper igitur persuasum sibi habeat de grati animi mei memoria, quam pater a filio merito exspectat.

Amstelodami oblitus, in solis precibus ad Deum faciendis grato animo suorum, imprimis R. P. Beckers, memor est.

Vota, salutationes.

5. — Haec testatus Rev. V.ae necnon RR. PP. Groenen et Verbeek ineunte anno 1805, qui sane iam inceperit cum Rev. Va. hanc epistolam accipiat, omnia fausta precor tam pro vobis quam quod ad gravissimas curas muneris vestri ad maiorem Dei gloriam suscepti attinet. Item peto ut a mea parte salutes omnes, qui mei memores fuerint aut de me exquisierint. R. P.

(1) Exercitationes dicendi.

Rector noster fratresque omnes Rev. V.ae salutem plurimam dicunt piamque tui memoriam se servare testantur. Commendamus nos SS. Sacrificiis et precibus Rev. V.ae Magna cum veneratione et pietate me dico

Rev. Pater devotum servum tuum
atque filium in Christo amantissimum

I. P. Roothaan

Novitius (o quanta felicitas!) Soc. Iesu.

P. S. - Mitto etiam epistolam ad amicum D. Gilles, ut forte priora desideria recordetur. Auctore R. P. Rectore, qui saepe repetit « il faut prier Dieu », multum pro eo oro, ut tandem Dei vocem sequatur.

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis. 450. 26. (*Versio ex ling. neerl.*).

XXVII. Ad Parentes Mathiam et Mariam Roothaan.

1. *Gaudeant Parentes de gaudio filii!* — 2. *De suis vix cogitat nisi quando pro illis orat.* — 3. *De litteris quas accepit et de splendore quo festa S. Ignatii Amstelodami, Fratre Alberto etiam operam dante, acta sunt.* — 4. *Die 1° Iul. vestem Societatis Iesu induit; vinculo amoris vere fraterni omnes inter se coniuncti sunt.* — 5. *Superiores curam habent non tantum animi sed etiam corporis.* — 6. *Salutationes, mandata.*

Dunaburgo, 30 Nov. (N. S.) 1804.

Parentes carissimi.

1. — Benedictus DOMINUS DEUS noster, qui me perduxit in Societatem unigeniti Filii sui, DOMINI nostri IESU Christi! Magno cum gaudio vobis meam electionem probari audivi; profecto vos, qui vere me amatis, oportet mecum de meo vitae statu gaudeatis. Parentes gaudeant de gaudio filii!

2. — Laetitia qua fruor, quod vocem Dei secutus sum, post epistolam quam primam hinc scripsi non est imminuta, sed potius in dies crevit, quia quanta sit gratia magis magisque cognovi. Vix mente comprehendere possum, ob gaudium sane et Tempus praetervolat; de suis vix cogitat nisi in orationibus; eos divinae providentiae committit.

continuas occupationes novae vitae, ab illo tempore quinque iam menses transiisse. Neve in malam partem acceperitis, quod profiteor me raro tantum de Amstelodamo cogitare. In sola enim oratione, parentum, cognatorum, amicorum memini, alias omnia obliviscor. Quid enim mihi prodesset aut quem fructum vos caperetis, si sollicitus essem de illis, quibus ne maxima quidem cura adiumento esse possim? Immo, si omnia Deo commisero, cuius Providentia omnia complectitur, et optime praestabo pietatis officia et vocationi meae respondebo.

Quattuor epistolas a parentibus accepit.

3. — Quattuor epistolas diversis temporibus a vobis accepi. Prima, quam R. P. Malevé mihi attulit, scripta erat die 9 Aug. Versabar tunc in Exercitiis Spiritualibus S. Patris nostri Ignatii, quae per 4 hebdomadas continuantur. Secunda, quam accepi 9 Nov. N. S., mense Septembri missa erat, denique in ipso die natali duas epistolas una accepi, additis litteris R. P. Beckers, alteram datam 30 Oct., 24 Jul. alteram. — Magno cum gaudio gravissimas caeremonias legi, quae post profectionem meam Amstelodami factae sunt. Maxime autem placuit, festum Sancti Patris nostri Ignatii tanta cum magnificentia actum esse. Nihil enim magis consentaneum est quam filios de Patris honore gaudere! Frater etiam ad caeremonias illas, ut legi, de suo contulit, quod spero DEUM esse remuneraturum. Eum arti canendi operam dare, bonum atque utile est; recta enim intentione, ad maiorem DEI gloriam, si faciat, una cum oblectamento etiam merita caelestia ex eo colliget. Utinam semper gaudium et solatium vestrum sit! Opto et a Deo quotidie precor, ut per corruptum mundum incorruptus transeat DEUMque semper et in omnibus rebus ante oculos habeat. Hoc modo felix erit, hic bonae conscientiae testimonio illic beatitudine sempertina, quam nobis datum iri omnes speramus. Quodsi quem ponit gradum et quam scribit litteram ad maiorem DEI gloriam ponat et scribat, si quot numeros videt et notat mente Deum laudet, quotidianas actiones DEO acceptissimas reddet. Sed iam quaedam de me narrabo.

Gaudet sollemnibus in honorem S. P. Ignatii Amstelodami actis, quibus etiam frater Albertus e suo contulit.

Vota et preces pro carissimo fratre.

Die festo SS. Cordis Iesu, 1 Iul. vestem Societatis induit.

4. — Die 1 Julii, novo stylo 13, ipso die festo SS. Cordis Iesu, mihi gaudenti contigit, ut vestem nostrae Societatis induerim, quam per quinque menses, quibus eam gero, pluris in dies feci et cariorem habui. Hymno *Veni Creator* dicto et litaniis recitatis Sanctissimae Virginis Mariae, Reginae, Patronae, Matris nostrae Societatis, ad fratres ducti sumus, qui nos simplici caritate amplexos receperunt. Caritas, qua fratres omnis aetatis, diversarum linguarum et nationum, coniuncti inter se sunt, summa laetitia nos afficit. Frequens usus SS. Sacramentorum, singulis diebus Dominicis et Festis, huius amoris vinculum adstringit. Omnes communem vitam agimus, quae ita est

Societas Iesu, Societas amoris.

constituta, ut omnia suo tempore ac modo fiant. Neque aliam curam habemus, nisi quae pertinet ad emendationem et perfectionem nostram; quae quidem cura, licet vires omnes in eam intentae sint, nunquam defatigat. Ut paucis complectar, tam laetus hic vivo quam antea vixi nunquam.

5. — Rectorem habemus Patrem, qui vere maximo amore facit quaecumque optimus pater facere potest. Nec solum animam eorum quibus praeest moderatur, sed etiam prospicit omnibus necessitatibus corporis. Aegrotatne quis? statim cum omni diligentia curatur. Mense Augusto caput mihi paulum doluit, quod incommodum e regula mihi aperiendum fuit. Tum usus theae mihi praescriptus est, quod medicamentum adhibere debui. Hoc nimirum potu nisi in talibus casibus non utuntur. Subito de aestate in hiemen incidimus. Cum mensis September fere etiam aestivus esset, Octobri omnia sunt mutata. Medio enim mense illo frigus vehementer ingruit et die 20, quae N. S. fuerunt Kalendae Novembres, iam siccis pedibus ambulantes aquam traiecimus! Quod quidem effecit, ut adversus curam, quae summa hic contra hiemem adhibetur, vetus ille morbus meus, manuum congelatio, appareret. Mox vix non inscio complures mihi « oculi » in manibus erant. Itaque cum fratre quodam officinam intravi ad quaerenda medicamenta. Revera remedium invenimus, quod autem non ex aliqua urna depromptum erat (1). Incidimus enim in senem aliquem, qui usu edoctus mihi auctor erat, ut contritos solani bulbos crudos, pannis involutos, manibus circumplicarem. Consilio vix dato statim obeditum est. Vesperi cubitum iturus, manus atque etiam pedes, nam et hi iam morbo tentabantur, pannis contritisque solani bulbis obvolutae sunt; quod ab eo tempore singulis diebus vesperi ita factum est, ut manus meae hic solani bulbos plures quam os comederint! Eventu autem exspectatio expletur. Vulnera propemodum iam restituta sunt, quamquam frigus magnopere auctum est. Haec sufficiant ut vos omni valetudinis meae metu liberem, quae revera tam bona est, ut tranquillo animo vobis similem optare audeam! Corpus rebus omnibus, quibus eget, et pluribus fruitur. Verum etiamsi res non ita se haberet, tamen Deum non minus laudare deberem et gratias Ei agere pro vocatione mea, quia animus plene invenit quae eius sunt, quod quidem ipsum petivi. Atqui cum et animo et corpori bene sit, gratiae quas Divinae Bonitati debemus, eo maiores sunt. Qua de re, parentes carissimi, nolite desinere Deo gratias agere pro beneficiis, quae mihi praestitit.

Cura valetudinis quam Superiores habent.

Cum caput doleret, « thea » curatus est,

cum manus subito frigore congelatae essent, crudis solani bulbis!

Deo laudes et gratiae!

(1) Sicut in « apotheca » patris, chirurgi.

Salutationes, mandata.

6. — Peto ut salutem meam dicatis fratri, avunculo, materterae Meilinck, cognatis reliquis, ut ipsi intellegitis, item ceteris amicis omnibus, qui mei recordati fuerint vel de me inquisierint.

Velim ut Pater ipse Dominum van Lennep salutatum eat, eique de officiis praestitis gratias agat. Rigae officina, quam ut adirem mihi suaserat, in recuperanda sarcina magno mihi adiumento fuit. R. P. Beckers in postremis litteris mihi salutem ab eo dixit.

Peto etiam a Patre, ut Domino Boele observantiam meam confirmet et gratias agat cum pro omnibus beneficiis tum maxime pro missis ad me adnotationibus suis (1). Ad quae respondebo ut primum denuo studiis operam dedero. Nunc studium meum est cognitio Dei et meiipsius, est humilitas, sine quibus nulla studia tuta erunt. Nunc laborare disco ad maiorem DEI gloriam, disco quomodo Iesuita fiam, idest socius imitatorque IESU Christi; praeterea nihil.

Ineunte anno 1805 felicia suis precatur.

Non restat quod scribam nisi ut optima quaeque ad annum 1805 vobis exoptem, sicut etiam cognatis amicisque. Orate pro me ad DEUM ut in gratia Eius permaneam, quemadmodum neque ipse desinam vos Deo in precibus meis commendare.

Curate ut valeatis. Semper sum cum vera pietate, parentes carissimi

Vester servus devotus ac filius beneficiorum memor

I. P. Roothaan Nov. Soc. Iesu.

P. S. - Hodie dies hic habet 8 horas. Hora 4 accenduntur candelae quae exstinguuntur hora 8. RR. PP. Malevé et Henry, qui adhuc mecum sunt, me rogaverunt ut vos salutarem; litterae, quas una cum hisce mitto, curetis quaeso, ut ad Dominum Gilles et Dominum Wedding adferantur. Inscriptio epistolae ad Dominum Gilles dirigendae haec est: Dominae Adr. van Miert in via Ginneken, Bredae. G.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) Cfr. epp. II et XLII.

XXVIII. Ad Ioannem Gilles.

1. — *Redundanti perfunditur gaudio vocationis in Societatem beneficio.* — 2. *Felicitas eius tam supernaturalis quam naturalis omnibus numeris perfecta est.* — 3. *Deum precatur ut amicum tantae felicitatis participem faciat.*

Dno. I. F. Gilles in Ypelaar.

Dunaburgo, 30 Nov. (N. S.) 1804.
Dirupit Dominus vincula mea.

Care amice.

1. — Quamquam infinita Dei bonitas, quae me indignum e mundi pravitate periculisque ereptum transtulit in sanctam Domum suam, efficit ut omnium rerum, quas reliqui, prorsus obliviscar, non tamen e mente mea excidit amicitia, quam per annos plus quattuor tecum colui. Neque enim vocatio haec, qua sum a mundo separatus, eius memoria mihi interdicit, cum spiritualis sit statusque mei officiis adimplendis minime obsistat.

Amici memoriam conservat.

Magnam gratiam, quam Deus mihi dedit, raro considero, quin cogitem, quam sollicitus de futura vita mea per duos annos fuerim. Cum tibi de tua sorte gratularer [1], de meo anxius quaerebam: « Quaenam mea aliquando destinatio erit? ». Sed addideram: « Deus, qui istum tibi destinavit locum, nec mei, quod spero, obliviscetur ». Quam spem tunc alebam ea haud vana facta est.

Deus eum vocavit ad vitam vere beatam.

Deus profecto de me cogitavit et ita quidem, ut nunquam exspectare ausus fuerim. Gaudium, quo perfundor ex quo hic sum, beata Deo serviendi opportunitas, quae mihi data est, pericula, e quibus misericordia divina liberatum me video, faciunt ut vocationis meae gratiam in dies pluris aestimem, utque quam maxime miratus quaeram, quare tandem Deus me, praeter tot hominum millia, ex adeo corrupta Babylone qualis est Amstelodamum, deduxerit in hunc beatissimum locum, quo quaecumque audio videoque, tam exemplis quam praeceptis, ad felicitatem meam cooperantur. Gaudium, quod Dei vocem, quae me huc vocare videbatur, secutus sum, ineffabile est. Haec mentis gaudia sunt de quibus regius Propheta cecinit: « Gustate et vide-

Expertus potest credere; gustate et videte.

(1) Cfr. Epistolam I.

te ». Ut intellegas quanta sint, oportet primum dulcedinem eorum gustaveris: « gustate », tunc ea considerare et aestimare poteris: « videte ». Antequam ad hunc statum elegendum transirem caperemque consilium, tam longe ab omnibus meis discedendi, magnum quid videbatur esse, quod Deus a me poscebat. Nunc vero alia omnino ratione id considero mihique firmiter persuasum habeo, hunc statum, post vocationem ad veram fidem, beneficium esse maximum, quod Deus mihi praestiterit. Video in hac re magnam misericordiam et amorem Dei, qui saepe eos eligit qui ipsi minime idonei sunt ad consilia Eius perficienda. Profecto nimis verum est quod Apostolus dicit: « Non est currentis, sed miserentis Dei ». Equidem videor mihi compensationem amplissimam accepisse eorum omnium quae reliqui. Societatem nunc habeo carissimam Matrem, quae necessitatibus meis omnibus providet, Patrem Superiorem, qui quidquid a tenerrimo patre exspectare possis, maxima cum cura et amore pro me facit. Pro uno, quem in mundo habebam fratrem, multos iam habeo, cum quibus non vinculis sanguinis sed interna charitatis lege, quae animos spirituali modo arctissime sociat, coniunctus sum. Ne corpus quidem habet quod queratur, cum quod iure petere potest accipiat, immo multo plura quam quibus opus est.

Non dicendum est sacrificium quod fecit, sed beneficium quod accepit.

2. — Societas tam corporis quam animae curam gerit. Verum animi imprimis voluptates sunt, quae vitam meam beatam reddunt. Innumera sunt quibus gaudet privilegia, quae aestimare non valet ille, qui ea ipse non experitur. Quid beatius, quam quod S. Virtute Obedientiae certus es Divinam a te voluntatem fieri? Non est cur dubius quaeras: Quid faciam? Curandum tantum habes ut, quae facis, facias bene; ad id vero Deus in hoc statu gratiam suam abundanter largitur. Amore omnia reguntur et moventur, amorem docent omnia. Cogitandum non habeo nisi de Deo et de me, Deum et me nosse disco; timoris Dei, qui sapientiae initium est, omne studium meum est. Quaecumque lego, audio, video, quasi conspirant ut me Iesuitam faciant, Socium Iesu, quem vere imitari debemus. Non est dubium quin sorti meae invideres, vel saltem eiusdem participem fieri cuperes, si eam cognosceres. Nos, qui hac vitae nostrae felicitate fruimur minime miramur, Praelatos Ecclesiae, Episcopos, Archiepiscopos Italiae cupere in Societatem admitti, quae in Regno Neapolitano cum splendore reviviscit. Audiens haec mundus miratur, at ignorat thesauros, quos ut filiis prosint Societas possidet.

Felicitati eius nihil deest.

Laus obedientiae.

Amore divino omnia reguntur.

Ecclesiae praelati plurimi Societati Iesu nomen dare desiderant.

3. — Iniuria prorsus ante hos tres annos questi sumus, cum inter nos diceremus: « Nos infelices, qui eo tempore nati simus, quo deleta est Societas, occlususque est aditus ad tam

Res Societatis optime procedunt.

beatam domum» (1). Confido Deum bonum et misericordem mihi istius querelae veniam dedisse. Ignorantes locuti sumus. Nunc alia omnino loquor Deoque gratias ago, quod me ad Societatem vocavit, quo tempore exspectationi eius beneficio divino iam satisfieri coeptum est. Tu quoque, quaeso, care amice, Deo gratias age pro beneficio quod mihi tribuit. Orare velis etiam pro salute et pro progressu Societatis nostrae, quam semper singulariter dilexisti. Ora pro me, ut gratiis Dei constanter respondeam. Equidem pro te continuis precibus a Deo peto, ut semper voci Eius oboedias, contemptis rebus omnibus, quae te retineant. Vale. Semper, amore et fide, Vota, mandata.

Devotus servus tuus sincerusque amicus
I. P. ROOTHAAN Nov. S. I.

ARCH. SOCIETATIS IESU, BRUXELLIS. 450. 21. (*Versio e ling. neerl.*).

---

(1) Cfr. ep. V.

MATHIAS ROOTHAAN una cum epistola filii has litteras ad Gilles misit:

Amstelodami, 24 Ian. 1805.

Domine.

Tribus tantum diebus postquam epistolam tuam honoratissimam accepi, laetatus sum trinis litteris filii mei, quarum quae tibi inscriptae sunt ad te mitto. Facile intelleges, quantum mihi gaudium fecerint, postquam per sex menses nihil audivi. Nunc vero metu liberatus sum, cum filius meus tanto cum gaudio ibi degat. Idcirco, Domine, accipe, lege, persuasumque tibi sit de verbis meis.

Salutem plurimam dico

Studiosus servus tuus
MATH. ROOTHAAN.

Consilium mihi est ad 1 Febr. iterum litteras ad filium meum dare. P. Groenen membrorum torpor per totum corpus pervadere videtur.

XXIX. Ad parentes, Mathiam et Mariam Roothaan.

1. *Iterum scribit de magna qua perfruitur in tirocinio laetitia. Religiosorum parentes participes religionis bonorum fiunt.* — 2. *Vitae religiosae praestantia.* — 3. *Piae Sacrorum Iesu et Mariae Cordium Sodalitati nomen dedit.* — 4. *Cultum SS. Cordis Iesu, homini utilissimum, parentibus vehementer commendat.* — 5. *De cultu purissimi Cordis Mariae.* — 6. *Sollemnium Paschalium in Russia celebratio.* — 7. *Patris Malevé ministeria.* — 8. *Paupertatis amor.* — 9. *Salutationes.*

Dunaburgo, d. 28 Apr. 1805.

Parentes carissimi.

Gaudet de gaudio parentum, quod filium tam felicem esse cognoverunt.

1. — Litterae, quas 1° Febr. ad me dedistis, quarta hebdomade post allatae sunt. Quas, ut puto, cum eodem gaudio accepi, quo meae vos afficere solent. Imprimis autem gratum mihi fuit, quod tantum gaudium de beata sorte mea mihi significastis. Habetis sane quod gaudeatis. Peculiaris enim parentum felicitas eorumque virtutum remuneratio habetur, Deum dignari eorum filios ad Societatem vocare et a saevis agitati mundi huius tempestatibus in hunc beatum portum introducere. Speramus itaque fore ut parentes eorum, qui Societati adscripti sint, habeant etiam partem meritorum, bonorum operum, precum Societatis, praeter communionem illam, qua omnes Ecclesiae filii alter alterius meritorum participes sunt. Certum est, Societatem in precibus ad Deum factis parentum suorum filiorum non oblivisci neque dum vivant neque postquam defuncti sint.

Parentes profecto partem peculiarem habent meritorum Societatis.

Nuper cum Rectorem nomine vestro salutassem Eique observantiam vestram testatus essem, respondit habitu, qui animi affectum testabatur: « Certiores, inquit, eos facias, neque mei illorum in precibus sacrificiisque meis oblivisci; pro illis orare etenim unum ex officiis meis est ».

Ex abundantia cordis etiam atque etiam de felici sorte sua loquitur.

Verum etiam si aliud non esset, quo gaudeatis, nisi quod tam contentus ac beatus vivam, gaudium vestrum aequum omnino esset, quoniam quidem laetitia filiorum cum felicitate parentum, felicitas cum laetitia quam arctissime coniunctae sunt. Nolite mirari, parentes mei, me semper de felicitate mea loqui: *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Nemo est qui hoc intellegat nisi qui ipse expertus est. Neque comparari possunt faustissimi dies, quos umquam peregi, cum ea qua nunc perfruor quotidie animi voluptate. Non loquor de oblectamentis

corporis aliisve, quae ad mentem non pertinent; non enim ad haec quaerenda huc veni. Potius quod ad haec attinet vita nostra continua mortificatione perpetuum martyrium et esse debet et re vera est. At ideo potissimum quod perpetuum martyrium est, vitae nostrae ratio nobis tam desiderabilis esse videtur. Mundo haec verba non sapiunt, sed gustus ei est depravatus; accedit quod « *ignoti nulla cupido* ».

De praestantia vitae religiosae et de mediis quae Societas adhibet ad perfectionem consequendam.

2. — Curae innumerae et auxilia, quae in Societate ad perfectionem consequendam et ad veras solidasque virtutes adquirendas adhibentur, multo superant ea, quibus quis in mundo uti potest, praeterquam quod ibi eheu vel haec etiam facile negleguntur, quae praesto sunt. Addo gratias, privilegia, cet. quae cum Societate communicata sunt. Equidem nunc aliquanto magis quam antea agnovi, quantopere errent ii qui unum idemque esse existiment, vivere sacerdotem in saeculo atque in Societate; affirmo vobis infinite inter se differre viam, qua Societas suos ducat et eam, quam in saeculo, etiam in seminariis optime constitutis, scholastici sequi soleant.

Sed totam epistolam ita completurus sum laudibus status mei, ut nova, quae dicenda habeam, iam non inveniant locum. Haec ergo satis sint ut non dubitetis, quin sorte mea plane contentus vivam.

Piae SS. Iesu et Mariae Cordium sodalitati nomen dedit.

3 — Paulo postquam proximas litteras scripsi, contigit mihi ut assumerer in sodalitatem, quae nomine SS. Cordium Iesu et Mariae Polociae constituta est. Devotio haec singulari ratione propria est Societatis, cuius membra omnia ei addicta sunt. Haud abs re est animadvertere, R. P. Beckers aliquot annis ante studio et ardore eam propagasse; siquidem spiritus Societatis idem est Amstelodami qui in Russia.

Cultus SS. Cordis Iesu Deo valde acceptus et homini utilisssimus.

4. — Cultus sanct.^mi Cordis Iesu ex amore emanat ideoque non potest nisi valde acceptus esse Deo, quod Is quidem manifeste ostendit neque ostendere desinit. Cum mirabiles eius effectus in animis fidelium, quos Patres fere quotidie animadvertunt, consideremus, fateamur oportet nostra aetate comprobari, quod olim S. Gertrudis ut sibi revelatum praedixerit, postremis Ecclesiae temporibus Cordis Iesu excellentiam cognitum iri atque a divina misericordia tamquam pretiosissimum donum Dei et medium efficacissimum ad Dei amorem excitandum hominibus datum iri.

Eius effectus mirabiles.

Incredibile est quot gratias singulares Deus huic devotioni adiunxerit; praesertim ad peccatores obduratos convertendos et ad solvenda vincula pravarum consuetudinum, quibus a multis annis constricti erant. Continuae insectationes, quas superat, perlucide demonstrant eam haud esse mere inventum mentis humanae, quod ceteroquin etiam indulgentiae

Indulgentiae concessae.

multiplices, quae eidem a Vicario Iesu Cristi concessae sunt, ostendunt.

Finis cultus SS. Cordis est iniurias Iesu amori illatas reparare.

Quoniam igitur et ego ei addictus sum, facere non possum quin eamdem vobis, parentes carissimi, commendem; hoc enim pietas vestra a me postulat. Finis huius devotionis est, iniurias quae Iesu illatae sunt, imprimis in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, quantum fieri poterit, reparare. Quod quidem si unquam his temporibus facere par est. Quis ineffabilem Iesu erga homines amorem itemque eorum ingratos animos contemplari potest, quin incendatur, ut quantum valeat contemptum amorem suo compenset? Nemo profecto, qui hoc Sacramenti Amoris mysterium fide cognovit, non potest non sentire iniurias, quae Iesu inferuntur non solum ab infidelibus et haereticis, verum etiam ab iis qui se Catholicos dici volunt, immo a segnibus et neglegentibus sacerdotibus. Ad istas igitur iniurias, quantum fieri poterit, reparandas, unusquisque se ipse devovet Sacratissimo Cordi, quod contemplatur flagrans amore hominum et saturatum dolore amaro ob eorum ingratos animos.

Quomodo id fieri potest.

Modus autem huius devotionis exercendae non est in multis precibus dicendis. Quamquam sane preces quasdam peculiares habet, nequaquam tamen in illis ipsa eius vis consistit. Suum est officiis quotidianis religiose fungendis, Sacrificio Missae saepe assistendo, identidem per diem S.mo Sacramento visitando, semper maxima cum reverentia se in ecclesia gerendo, frequenter SS. Sacramentis suscipiendis laesum Iesu honorem reparare. Huius porro devotionis singularis est vis, qua animi ad amorem excitentur. Plurimum ad id conducit, si quis secum ita reputet: « Cor Iesu tam vehementer tamque crudeliter tot hominum blasphemiis atque sacrilegiis transfigitur; age, conabor Cor illud amantissimum consolari, singulari devotione colere, iniurias illatas singulari vitae sanctitate atque alacri officii faciendi studio reparare ».

Ab omnibus fieri potest idque facile.

Quid hoc facilius? Negotia si te impediunt quominus corpore ecclesiam adeas, haud tamen magni laboris est, mente ad Cor Iesu, qui in Sanctissimo Sacramento adest, suas in nos gratias effusurus, te vertas. Omnes enim facile, mediis etiam in occupationibus, si non ore, corde saltem dicere possumus: « Benedictus sit Iesus unoquoque temporis momento in Sanctissimo Sacramento », omnes possumus hos amoris nostri actus actibus amoris, quibus servi boni ac fideles Iesum in hoc Sacramento et nunc adorant et adoraverunt semper, coniungere ad gratias agendas pro hoc amoris Pignore et pro beneficiis per Id sibi collatis, ad reparanda opprobria, quibus mali

Christiani, sacerdotes, infideles Id afficiunt. Num dubitare quis possit, quin talis devotio ex piissimo amore orta, Iesu accepta sit?

De cultu purissimi Cordis Mariae.

5. — Porro quoniam Maria cum Iesu semper coniuncta et cor B. Virginis Iesu Cordi quam simillimum est, ad eius currite praesidia, impetrate ab ea verum amorem Cordis Iesu et corda Vestra una cum Mariae Corde, amorem vestrum una cum amore Mariae, Iesu offerte. Videtis sane, parentes mei, quam pulchra haec sit devotio quamque pauca addat ad id, quod vi praecepti fieri iam debeat. Num nimium est, S.mum Sacramentum peculiari devotione coli?... item B. Mariam Virginem? Profecto qui se arbitratur largiorem umquam esse posse in amando Iesu et Maria, is non intellegit, quantopere ipse, licet prorsus indignus, a SS. Iesu et Mariae Cordibus ametur.

Commendat hanc devotionem parentibus, fratri, cognatis aliquibus.

Commendo igitur vobis hanc devotionem. Cor Iesu fons est beneficiorum omnium, ideoque omnino dignum, quod a nobis honoretur atque ametur. Fratri quoque eam commendo, qui quamquam tempore deficiente separatas litteras a me non accipit, tamen persuasum sibi habeat, me eius memorem esse. Proin quoniam amor ignis est, qui contineri non potest sed semper magis effunditur, sic omnium qui S. Cor Iesu amant, proprium est, hanc devotionem propagare. Nec solum precibus ad Deum factis hoc efficere poteritis sed interdum etiam aliis suadenda est, avunculo et materterae Meilink, eorumque ancillae, qui ut sunt Deo devoti saepe ecclesiam visitant et singulariter hac devotione delectabuntur. Facile eis erit piis propositis addere etiam hoc: « ut iniuriae Iesu ab hominibus illatae reparentur ».

Preces iaculatoriae.

Singuli qui quotidie pia mente has preces iaculatorias dicunt: « Laudetur et glorificetur singulis temporis momentis Iesus in S.mo Sacramento », centum dierum indulgentias et singulis mensibus post confessionem atque Communionem plenarias lucrari possunt. Praeterea S. S. Pius Papa VI indulgentias centum dierum, quotidie lucranda concessit omnibus qui pie precantur: « Quam longe progressa est caritas Tua ineffabilis, o amantissime Iesu! Ut dones Te Ipse totum, mihi in Tuo Sanctissimo Sacramento corpus Tuum das cibum, pretiosum sanguinem Tuum potum. Quidnam ad tantum caritatis excessum Te impulit? Profecto nihil aliud nisi Cor tuum amantissimum. O Cor Iesu maxime venerandum, Cor amore flagrans, recipe quaeso animam meam sacratissimo vulnere Tuo, ut in illa charitatis flamma discam Tibi amorem pro amore reddere, qui mihi tam mirabilia amoris signa praebuisti. Amen ».

Festa Paschalia gravissimo ritu et sollemni pompa celebrata sunt.

6. — Celebramus nunc laeti tempus Paschale. Caeremonia quaedam hic habetur Sabbato Sancto, quae neque Amstelodami neque in Brabantia in usu est. Die Sabbato vespere hora nona SS. Sacramentum gravissimo ritu ac sollemni pompa e tenebroso loco educitur, in quo tamquam in sepulchro feria sexta ante meridiem positum erat; ter per ecclesiam circumfertur pulchro atque festivo vocum fidiumque cantu « Alleluia », sonantibus etiam maioribus campanis. Ecclesia nostra ubique cereis atque lucernis illuminata erat, plus puto trecentis. Caeremonia haec, quae antecessit horas matutinas, hora undecima cantato hymno « Te Deum » finem cepit.

Caelum mitescit; usque ad medium mensem Aprilem omnia nive et glacie concreta erant.

Iam ipsa quoque terra, quae omnis nive constrata erat, recentibus herbis et stirpibus imaginem quamdam Resurrectionis nobis effingit. Die nono Aprilis pisces capturi ambulatum ivimus. Circa collegium nix tum maiore ex parte liquefacta erat, sed silva, quam transgredi opus fuit, alium omnino adspectum habebat; hic illic ad suras usque in nivem desidebamus. Postremo ex silva ad magnam pervenimus planitiem, in qua equi et alia animalia erant, neque parum miratus sum audiens hoc esse stagnum in quo pisces caperentur! Glacies, etiam tum duos vel tres pedes alta, tam solida fuit quam media hieme fuisset.

R. P. Malevé missionarius profectus est ad Caucasum.

7. — Rev. Pater Malevé (1) hodie ab his locis iam aliquanto longius profectus est quam nos ab Amstelodamo distamus; attamen nondum extra Russiam versatur. Ministerio sacro fungitur et gratia divina adspirante multos homines Deo conciliaturum se esse sperat. Discedere alterum ab altero haud novum est in Societate; quotidie parati sumus et maximo quo poterimus gaudio ibimus, quocumque mittemur. Securi sine sollicitudine in crastinum vivimus.

Amor paupertatis.

8. — Scire cupitis, quibus rebus gratum mihi facere possitis. Gratias pro ista quaestione, parentes mei, in qua amorem vestrum agnosco. At persuasum habeatis velim me nihil possidere, nihil posse habere, nihil habere velle. Pauper sum, nihil habeo, nec quidquam est quod habere cupio. Ceterum postquam statui, ut pauper pauperem Christum sequerer, multo ditior sum quam qui in mundo opulentissimi sunt. Faxit Deus, ut in hac sancta paupertate vivam ac moriar! Unum tantum ab amore vestro exspecto: gratias S.mo Cordi Iesu agatis pro beneficio mihi praestito et auxilium petatis necessarium ad sancte vivendum in statu meo, ad vivendum, manendum, perseverandum ad extremum vitae spiritum in gratia Dei.

Dei gratia sufficit.

Salutationes.

9. — Persuasum vobis sit de pietate mea et recordatione vestri, quam habeo in infirmis meis precibus; certiores item fa-

(1) Cfr. ep. XXI.

ciatis velim amoris mei fratrem, avunculum, materteram, totam denique familiam.

Parentes carissimi

Filius vester amantissimus
I. P. Roothaan Nov. S. I.

P. S. - Salutetis velim a me amicos omnes atque necessarios, praecipue Dms Van Lennep et Boelen. Ne dubitent quin eorum memor sim; tempus autem scribendi deest. A. R. P. Generalis d. 26° Mart. potius dicam d. 7° Apr. obiit (1). In eo Societas Iesu amisit Praepositum, qui eam non minore cura et diligentia quam felicitate gubernavit. « *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum* ». Confidit bonitati Dei, in cuius manu omnia sunt (2).

Arch. Societatis Jesu, Bruxellis. 450. 23. (*Versio ex ling. neerl.*).

(1) A. R. P. Gabriel Gruber, qui Societati Iesu a mense Octobri 1802 praefuit. Ei 2 Septembris 1805 A. R. P. Thaddaeus Brzozowki successit.

(2) Epistolium quod Matthias Roothaan ad Ioannem Gilles dedit, ad litteras hasce refert.

Amstelodamo, 25 Maii 1805.

Domine.

Festino epistolam ad te mittere, quam filius meus tibi scripsit. Alteram ut intellegis, ipse accepi. Quae spiritu pietatis in Deum incensa mihi valido stimulo fuit. Ceterum tam contentus est et statu suo ita delectatur, ut contra omnes huiusce rei sollicitudines satis securus sim. Priore epistola ad eum missa rogaveram, ut notum mihi faceret, qua re quove modo ei gratum facere possem; id a me prima quaque occasione missum iri. En quae respondit: « Gratias pro ista. - Persuasum vobis etc. » (vide supra).

Addidi ordinem diurnum seu temporis divisionem, quam nosse cupis. R. P. Beckers, cui iam pridem a filio meo missa erat, eam mihi dedit. Qua occasione usus R. P. petit, ut ad se remittatur epistola Baccenascii, quam tibi aliquando dedit.

Quam exspectans cum omni observantia maneo

Amicus tuus Math. Roothaan.

Arch. Soc. Iesu, Bruxellis. 450. 23 (*Versio ex lingua neerl.*).

XXX. Ad Ioannem Gilles.

1. *De beato noviciatus tempore.* — 2. *Societas Iesu multa auxilia habet ad pie et sancte vivendum.* — 3. *Optat ut amicus Dei vocem audiat et sequatur.* — 4. *Preces promittit et petit.*

Dunaburgo, 28 Apr. (N. S.) 1805.

Care amice.

Gilles de studiis faciendis quaesiverat.

1. — Maximo cum gaudio brevem tuam sed benevolam epistolam 29 Ian. datam accepi. Sane erat cur post silentium tam diuturnum plura verba a te exspectarem, sed numerus non multum refert, modo vero amore proferantur, de quo mihi persuasum est plene. Quaeris de meis studiis, professoribus, etc. In noviciatu uni studetur Christianae perfectioni acquirendae, quae fundamentum et principium est verae sapientiae; haec sola via est, qua Societas finem suum, quem in reliquis scientiis spectat, assequatur. Libri quibus in hoc studio utimur, sunt: Rodericius, Vitae Sanctorum et praecipuorum Virorum Societatis, cet. Noviciatus est Societatis porta, eadem omnibus, ex quo colligere potes, Episcopos et Archiepiscopos, qui admitti in eam cuperent, dioeceses suas relinquere et a noviciatu tamquam a meta incipere debuisse, quod ipsum a R. P. Angiolini, Societatis Procuratore petiverant. Ad id autem quod attinet, cum Sanctitas Sua eis non indulsisset administratione dioeceseos decedere, omne eorum desiderium irritum factum est. Ceterum verum est eos pro magna felicitate habere, membra esse Societatis. Ego quoque hac spe summe delector neque dubitarem infimum in ea locum, etiam minimi *Coadiutoris temporalis,* praeferre summis et splendidissimis muneribus extra eam. Ita omnes fratres mei sentiunt. Profecto non sunt bona externa quorum delectatio tantam illis animi pacem affert, cum inter illos sint, qui valde multa reliquerint, si tamen in mundo unquam *multum* relinqui possit, ut Deus inveniatur. Securitas et tranquillitas animi, quod obedientes Dei voluntatem facimus, gaudii nostri fons praecipuus est. Tu, amice, anceps quaeris: Vultne Deus, me etc.? Nos, qui in Societate victuros et morituros nos esse speramus huiusmodi dubitationibus liberi et sumus et erimus semper. Quamdiu in eius gremio sub ductu Sanctae Obedientiae vivemus, de Dei voluntate magis certi erimus, quam si Eadem nobis revelaretur. Hinc gaudium illud quod quicumque Deo obedire quaerit per se sentit, cum persuasum sibi sit, se eo in loco, iis in muneribus, eo in statu versari, in quibus Deus eum esse velit.

In novitiatu christianae perfectioni assequendae studetur.

Multi episcopi petiverunt ut in Novitiatum admitterentur.

Sancta obedientia fons tranquillitatis et gaudii.

2. — Salutis aeternae subsidia in Societate abundantiora sunt quam in mundo, cum in ea, tamquam in portu tuto, a tot tantisque tempestatibus securus sis et serveris ab innumeris periculis, quorum nostris imprimis diebus plenus est mundus. Subsidia habet Societas plurima, quibus filiis suis assistat in vita, in morte, post mortem. Accedunt manifesta, quae habemus argumenta, quae ostendunt Societatem a Deo singulariter amari, quae haud parum animum dant omnibus membris eius, ut indefessis viribus in servitio tam boni Dei progrediantur. Ad temporales res quod attinet, quicumque in Societate secundum statum suum vere pauper est, ditior ille est omnibus mundi hominibus ditissimis atque potentissimis, inter quos sane paucissimi, fortasse nulli inveniantur, qui non plus aliquid cupiant quam possideant.

Innumera auxilia quae Societas habet ad perfectionem assequendam.

3. — Fieri potest ut putes, a me status mei praestantiam et felicitatem tam copiose exponi, ut ad eum elegendum te perducam. Etsi, ut aperte loquar, maiorem felicitatem tibi precari nunquam potero, tamen ne maxima quidem familiaritas nec amicitia maxime intima ius mihi tribuerent, quo huius vitae rationis capessendae tibi auctor essem, nisi tu ipse mihi animi sensus hac de re pluries manifestasses. Nunc autem ideo istos sensus tibi in memoriam revoco, quia cogit me tam felicitas huius status quam expertus cognovi, quam consideratio summae infelicitatis, quae impendet illis omnibus, qui vocem Dei in iis, quae ad vocationem suam attinent, non audiunt. Huius rei multa exempla sunt eaque tremenda, quorum nuper unum aliquod legi in vita S. Francisci Xaverii (auct. R. P. Bouhours), quod me vehementer commovit. Cum sanctus hic vir Roma iter faceret Ulisiponem, ut illinc in Indias transmitteret, praeter alia etiam hoc accidit. Unus e comitibus Mascarenhas, legati regii, equo parvum quidem sed altum rapidumque flumen traicere volens, aquae cursu sic abreptus est, ut omnes eum iam periisse crederent. Xaverius suo salvandarum animarum studio ductus, cum periculum videret cui salus exposita esset hominis, quem ad statum religiosum vocatum fuisse sed huic gratiae non respondisse sciret, Deum precari coepit. Tum ille mirabili modo morti ereptus est. Postquam Xaverium ab eo, sensibus restituto, quaesivit, quid periturus animo sensisset, aperte respondit, ordinem, ad quem Deus se vocasset, oculis suis obiectum fuisse seque metu maximo affectum, ne salutis aeternae perficiendae occasionem neglexisset. Testatus insuper est, divina iudicia de illis, qui a vocatione sua defecissent, se eo momento multo maiore pavore vexasse, quam alios imminentis mortis terrores. Tam vivide de poenis aeternis dixit, quasi ex ipso inferno redux esset. Sic Xaverius ipse rem in quadam epistola narrat. Cogitationes

Quia amicus paucis ante annis in Societatem Iesu ingredi voluit nunc autem de ea iam non cogitare videtur, eum monet ne vocem Dei neglegat.

Exemplum e vita S. Franc. Xaverii desumptum.

eiusmodi me tui semper memorem faciunt, dilecte amice. Nosti, ita ex solo amore fieri. Optaverim equidem, ne haec meditatus tam negligenter dicas quod anno ante mihi scripseris: « Modo tandem aliquando ad patriam perveniatur, sive per Dunaburgum sive per Ypelarium iter fiat ». Quaestio est, an non adsit magnum periculum, ne haud perveniamus altera via, cum Deus nos altera ducere velit. Quodsi priora desideria tua temporis intervallo et rerum cursu languerint, sive caro et sanguis sive alia quaevis ratio obstiterint ne libere eligeres, opto atque oro, ut Deus eadem tibi resuscitet. Faxit ille ut momentum « *unius necessarii* » ita intellegas, ut paucis abhinc annis intellexeris. Praeterea spero te in re tam gravi id electurum esse quod tibi in hora mortis maximae consolationi futura sit.

Non est eundum alia via si Deus aliam ostendit.

Age carissime, sensus animi mei simpliciter tibi aperui. Iudico te amicum qui certum consilium nondum cepit, quippe qui, si bene memini, ad Seminarium Ypelarense te non contuleris, nisi ut meliorem occasionem exspectares.

Preces promittit et petit.

4. — Non omittam in infirmis orationibus meis res tuas Deo commendare. Tu, quaeso, Deo pro me gratias agas ab Eoque gratias petas, quibus in tam beato statu sancte vivam, neque diutius segnitie et tepiditate vocatione mea indignus exsistam.

Cultum SS. Cordis Iesu ei commendat.

Auctor tibi sum, ut cum vera pietate SS. Cordis IESU colas. Cum Cor Iesu fons sit omnium beneficiorum, Ei beatam vocationem meam debeo, neque tu simile quid nisi ex hoc Amoris fonte exspectare potes. Die festo SS. Cordis, quae semper est feria sexta post Octavam SS. Sacramenti, annus erit, ex quo vestem S. Ignatii sumpsi. Illo die singulariter mei memor esto sicut equidem sane tui meminero. At tempus longum est; antea mihi, ut spero, scripseris.

Finem facio mente te amplexus et testatus me esse et manere

Servum tuum devotum sincerumque amicum

I. P. Roothaan, Nov. S. I.

P. S. - Nuper ad R. P. Beckers scriptum dedi ordinem diurnum nostrum, quem sicut optasti tecum communicabit. Vel potius, veni et experire.

Arch. Societatis Iesu, Bruxellis. 450. 24. (*Versio ex ling. neerl.*).

XXXI. Ad Parentes Mathiam et Mariam Roothaan.

1. *Cultum SS. Cordis Iesu parentibus plenius exponit et commendat.* — 2. *De RR. PP. Henry Amstelodamum redituro, ut R. P. Beckers adiuvet, et Malevé, missionario in regione Astrakanensi.* — 3. *Cum duobus aliis Novitiis Dagdam missus est, ut patribus in Statione (paroecia) laborantibus assistant. Fides populi.* — 4. *Studium animarum quo Patres ardent.* — 5. *Ordines minores suscepit.* — 6. *Salutationes.*

Dunaburgo, 1 Aug. 1805.

Parentes observandissimi.

Gaudet litteris a parentibus acceptis, ideo potissimum quod iis placuerunt ea quae de cultu SS. Cordis Iesu scripserat.

1. — Litteras, quas d. 27 Maii mihi dedistis, magno cum gaudio pluries legi, non quod testes mihi erant vos vestra sorte esse contentos, de qua re nequaquam dubitaveram, quoniam Deus eamdem gerit curam eorum, qui Amstelodami ac qui Dunaburgi sunt, sed quod vobis placuerunt ea quae de cultu SS. Cordis Iesu scripseram. Revera equidem non desino infirmis precibus meis vos quotidie paternae Dei Providentiae commendare, et plane confido vobis nihil eventurum esse nisi quod Deus voluerit vel permiserit. Atqui nihil melius desiderare possumus quam quod Deo placet, etiamsi id speciem alicuius mali praebeat. Quin etiam nonnunquam id quod nobis malum esse videtur re vera bonum est. Beatus igitur ille, qui se prorsus divinae voluntati tradidit, semper sua sorte contentus, semper securus.

Quod autem ad cultum SS. Cordis Iesu attinet, spero ipsam Eius charitatem illum in cordibus vestris in dies magis excitaturum atque inflammaturum esse.

Quae quidem quoniam singularis est gratia, instanter nobis in amantissimo Corde IESU, omnium bonorum spiritualium fonte, quaerenda est. Cum autem amor usque operetur, nostri etiam est officii illam SS. IESU Cordis devotionem actuosam facere.

Devotio nostra actuosa sit oportet.

Saepe de virtutibus Iesu, quarum Cor Eius fons est meditemur,

Ut id assequamur, nihil melius facere nos posse arbitror, quam saepe de virtutibus excellentibus meditari, quarum Cor illud adorabile sedes est, deinde desiderium excitare harum virtutum imitandarum, nobis ante oculos ponendo quantum Cor IESU continuo flagrarit amore Dei atque hominum, contempserit cunctas res terrenas quae ad DEUM non referantur, quam fuerit patiens atque humilis in perferendis incommodis, doloribus, opprobriis, quam plane conformis in omnibus eventis vo-

luntati Patris; item desiderando cor nostrum SS. Cordis IESU quantum possumus simile facere.

praesertim cum laetitia vel tristitia afficiamur.

Itaque saepe quidem, praesertim vero in iis rebus, quae maxime corda nostra commovent ad tristitiam vel ad laetitiam, quisque se colligere debet quaerendo, *Quinam in talibus rebus amantissimi IESU Cordis affectus fuisset?* Conetur dein divina gratia adiuvante similes affectus in suo corde excitare. Iuvat etiam interdum cogitare, an cor nostrum amet, eodemve modo amet quo IESU Cor carissimum. O quam pretiosos uberrimosque fructus colligeremus, si ita Cordis IESU coleretur devotio! Accedit quod certissime constat, Christianos omnes IESUM in corde suo exprimere debere neque ullum illis adnumerari posse, quos DEUS sibi elegerit, nisi cor eius conforme fiat imagini, quam nobis in Ipsius Filio dilectissimo ostendat.

Iesus enim non tantum a daemonum potestate redemit sed etiam exemplum dedit quod imitemur.

IESUS enim non modo homo factus est, ut nos a daemonum servitute liberaret, verum etiam ut viam caeli monstraret nobisque exemplum daret, quod imitaremur. Virtutum autem exercitatio, naturae alioquin perdifficilis, hac devotione nescio quam facilis redditur. Una ex maximis gratiis quam a IESU in SS. Sacramento implorare possumus, quamque si imploramus Ei gratissimum facimus, profecto haec est, ut cor nostrum Suo Cordi quam simillimum facere dignetur. Habemus hic libellos Polonice de devotione adorandi Cordis IESU confectos, ex quibus quod vobis modo scripsi transtuli. Identidem vobiscum plura ex eis communicabo, quando cum permissu Superiorum ad vos scribam.

Vobis et fratri et omnibus, qui Deum diligunt hanc commendo devotionem, quippe quam multis signis singulariter Deo acceptam esse novimus; ecquid aliud requiritur, ut eam etiam nobis acceptam faciamus?

P. Henry Amstelodamum rediet, ipse libenter manet in Russia.

2. — P. Henry me relinquet et sine me (1) Amstelodamum redibit. Malo equidem hic manere quam cum eo redire. Nullum dubium est, quin in Hollandia non eadem, qua hic animi tranquillitate fruiturus essem. Imminui haec non potest neque poterit; neque felicitatem meam depingere possum. Multi huc convenerunt, ut nobiscum eius participes fierent nec ideo singuli minus habemus. Faxit Deus ut etiam plures veniant! Praeter alios veterem amicum... (2) aliquando venturum etiam nunc spero. DEUM obsecro, ut ei hanc gratiam impertire dignetur. Nondum respondit ad meas postremas litteras; vellem equidem

Vota pro vetere amico, pro P. Henry.

(1) Profecturus Amstelodamo Ioannes duos sacerdotes socios itineris invenit, RR. DD. Henry et Malevé. « Melius etiam mihi provisum est, inquit ridens, quam Tobiae. Hic uno angelo contentus esse debuit, ego duos habeo ». Alludit ad haec verba. Angelus enim Tobiam « duxit *et reduxit* sanum ».

(2) D. Ioannem Gilles.

ipse mihi responsum afferret. Fiat autem divina voluntas! Spero quoque fore ut Deus ad Sui maius obsequium R. P. Henry adiuvet, ut celeriter addiscat linguam neerlandicam utque mox R. P. Beckers auxilio esse possit. Revera Deus ad addiscendas linguas alienas Societatis membris singulares gratias impertire videtur. P. Melchior Malevé, comes itineris mei, Astracani quo hoc anno mense Februario pervenerat, iam die festo S. Aloysii lingua Armena contionem habuit et iam a multo tempore lingua Germanica confessiones excipit.

P. Malevé missionarius in regione Astracanensi.

3. — Paullo postquam superiores litteras scripsi, ego et tres fratres novicii a R. P. Rectore Dagdam missi sumus, ubi a Patribus Societatis qui missionis Stationem administrant, exercitia spiritualia tradebantur. Locus hinc 15° vel 16° lapide [1] abest. Identidem cupiebam vos eorum, quae ibi viderem, testes esse. Nobis singulariter aedificationi fuerunt et si catholicis nostratibus narrarentur, omnes profecto animo commoverentur. Age quaedam Vobis enarrabo ad maiorem Dei gloriam. Sive consideras Patrum ardorem, eo magis sane mirandum, quo minus iucundus est labor continuus, secundum hominem dico, sive pietatem populi, quem Sibi Deus videtur elegisse, ad reparandas iniurias, quas aliis in locis a philosophis, qui dicuntur, et huius mundi hominibus eruditis Ipsi inferuntur, utrimque habes quod Deo gratias agas. Homines, quibus Exercitia traduntur, pauperes sunt omnino, qui in servili quodam statu cum familia sua bonis adnumerantur dominorum, pro quibus laborare debent, a quibus persaepe crudeliter tractantur. Pars enim sunt praecipua eorum possessionum ideoque emuntur et venduntur, non quidem singuli sed cum familiis et vicis. Homines porro sunt natura tardiores et inculti, qui a prima pueritia magis cum porcis, ovibus, cet. quam cum hominibus versantur, vix rationis capaces, quod quidem potissimum in iis videtur, qui non sunt pie et religiose instituti. Perspicuum igitur est non oratoris argumenta, quamvis ad persuadendum et commovendum accomodata, sed virtutem Spiritus Sancti esse, quae in illis effecerit quod iam narrabo.

Missus est Dagdam cum duobus noviciis, ubi Patres S. I. missionis stationi (quasi paroeciae) curandae inserviunt.

Condicio populi pauperi et miseri.

Tantum religionis amorem iidem homines ostendunt, ut diebus dominicis et festis, quibus labore vacant, templum DEI sibi domicilium quoddam facere videantur. A 4 vel 5 millibus passuum ad ecclesiam confluit devota multitudo, quae nonnunquam per duas vel tres horas Missae Sacrificium exspectant. Cui dein tanta reverentia et modestia intersunt ut penitus pudeat me Catholicorum universe in Hollandia habitus. Tum concionem

Eius pietas.

(1) Agitur de lapide seu millenario illius regionis et temporis, cum « systema metricum » modernum nondum ubique constitutum esset. « Quindecim millia » ibi tum erant multo plus centena « millia passum ».

audiunt, stantes et silentes, nisi quod alicubi gemitus interdum editur, oculis in concionatorem intentis. Nihil autem magis animum movet quam desiderium excipiendorum SS. Sacramentorum habitusque quo ad eadem accedunt. Statio haec sex septemve millia communicantium habet. Diebus dominicis, omitto singularia solemnia et festos dies, 200 plures pauciores ad S. Communionem accedere solent. Alios iam hora quarta mane Ecclesiam adeuntes videre est, alios longe etiam post meridiem. Ipsi vidimus S. Communionem multis distribui etiam hora vespertina quarta. Maxima reverentia ad S. Mensam accedunt, gravi habitu multisque lacrimis ostendunt, quam vivide credant, quam intime commoti sint illa quam IESUS in hoc adorando mysterio hominibus praestat, caritate. Concursus saepe tantus est, ut multi tertia vel etiam quarta hora domum redeant, quin eis ministratum sit.

Cultus B. Virginis Mariae.

Celebris etiam est apud eos cultus B. Mariae Virginis. Rosaria quae attuleramus pauciora erant numero, quam ut omnibus, qui ea rogarent sufficerent; qui autem receperunt, decem et plura rosaria se pro nobis oraturos esse promiserunt. Audivi paucos esse, qui B. M. Virginem illa tam veteri quam pulchra orationum serie non quotidie salutent. Devotio haec inter mulieres maxime in usu est (quod quidem audire sine dubio Matri gratum erit!) ideoque eas in mente habere licet, cum B. M. Virginem precaris: « Ora pro devoto femineo sexu ». Postquam haec omnia, magna profecto cum laetitia vidi, saepe mecum animo quaerebam: « nonne populus hic in die iudicii multos Catholicos cum alibi tum praesertim in Hollandia pudore afficient? ».

Catholicis Amstelodamensibus exemplo sunt.

Merito dubitandum esse puto, an Amstelodami e 40.000 Catholicorum, qui ibi esse dicantur, die dominica ad S. Mensam tot accedant quot e 7.000 qui heic sint. Quomodo autem comparabis homines, qui quarto vel quinto milliario ab Ecclesia absunt, cum iis, qui proxime Ecclesiam habitant! Huiusmodi cogitationibus nonnunquam mente in Hollandia versor, cuius alioquin fere obliviscor.

Ardor et studium animarum salvandarum, quae Patres ostendunt admiratione digna sunt.

4. — Neque minus notatu dignus est ardor et studium animarum salvandarum, quae Patres in hac statione ostendunt. Tres tantum numero sunt cum si quinque essent, haud iusto plures essent. Pecuniae vix sufficiunt unde sumptus ad vitam necessarii fiant, quocirca quam tenuissime vivunt; at sorte sua tam contenti esse videntur quam qui in mundo felicissimi habentur. Recte quidem; status enim eorum praestantior est, modo aliis quam huius saeculi oculis consideretur.

Ecclesia etiam in feriis per totam diem adeuntibus patet, tam ut SS.um visitetur quam ut Sacramenta administrentur. Die dominica Patres mane adeunt ecclesiam, ut confessiones au-

diant, quod non intermittunt nisi ut Sacrum faciant, concionentur, distribuant S. Communionem, cet. ad ipsam secundam, immo tertiam horam post meridiem. Ultima missa hora undecima cantatur; post quam duae fiunt conciones, altera lingua Lotavica (mira sane illa), Polonica altera. Etiam post conciones semper inveniuntur, qui confiteri cupiant. Patres igitur ad secundam tertiamve horam usque ieiuni sunt, cum plerumque mane iam ab hora quarta operam impendere inchoarint. Tempore quadragesimali, quo hic praecepto Paschali iam satisfieri potest, haud semel hora tantum quinta vespertina primum aliquid cibi sumentes pransi sunt. Superiores quidem, timentes ne nimio labore sibi ipsi Patres nocerent (quod quidem reapse factum iam est, cum paucis ante annis multiplicibus laboribus unus succubuerit), coacti sunt, temporis spatium, quo diebus dominicis confessiones exciperent, praescribere; illi autem, quoties vident illo tempore omnes qui Sacramenta petant iuvari non posse, semper etiam unam horam ad tempus praescriptum rogant. Neque sic sufficiunt. Paroecia in alteram partem ad sex millia passuum in alteram ad tres quattuorve ab ecclesia patet. Quamdiu illic degimus vix unus dies praeterivit, quo non ad infirmum visitandum vocarentur, aliquando bis vel ter eodem die. Factum est ut Pater quidam, mane hora decima Missa nondum celebrata vocatus, ieiunus profectus sit neque ante horam septimam redierit. Alius profectus post meridiem eodem die reversus non est; rediit tertio demum mane munitis tribus aegrotis SS. Sacramentis, ad quos cum aliquot passum millibus inter se distarent, in itinere vocatus erat.

Nimio labore occupati sunt.

Hac in statione intellexi, quantopere necessarium sit, ut missionarius vere sit mortificatus et velut mortuus mundo. Sed tempus est finire narrationem, cum charta non iam suppetat. Ceterum haec sufficere puto, ut aliquam saltem huiusmodi Missionis notionem concipiatis ad maiorem DEI gloriam.

Missionarius vere mortificatus sit oportet.

5. — Nuper, d. 28° Julii collatis ordinibus minoribus. DEUS me in numerum peculiarium servorum suorum admisit. DEO gratias habete pro me, quoniam quidem non desinit nova semper mihi indigno tribuere beneficia. Orate pro me, sicut et ego vestri in precibus meis semper memini. Amorem nostrum in spiritualem convertamus oportet.

Die 28 Iulii ordines minores suscepit.

6. — P. S. Salutetis velim omnes amicos cognatosque, quotquot memoriam mei retinent, praesertim avunculum et materteram Meilink, neve omittatis fratrem. Litteras nondum exspectent; tempus deficit. Fratri persuasum sit, me semper eius memorem esse. Salutem etiam dicatis DD. van Lennep et Boele. Rogo ut litteras obsignatas D. van Lennep reddere velitis; item ut ad D.um Oomen, qui in via Rokin prope basilicam ha-

Salutationes, mandata.

bitat, eas quae ad eum scriptae sint, mittatis; quas vero ad Dm Gilles dedi, eas involucro indutas atque inscriptas Bredam mittere velitis.

Parentes carissimi

Filius vester animo reverenti et gratissimo

I. P. Roothaan Nov. Soc. Iesu.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

XXXII. Ad Ioannem Gilles.

1. *Desiderat responsum ab amico accipere.* — 2. *Deum precatur ut suae ipsius felicitatis particeps fiat.*

Dunaburgo, 6 Aug. 1805.

Care amice.

Desiderat amici responsum accipere, quin etiam audire eum venturum esse Dunaburgum.

1. — An ad litteras quas circa Pascha ad te misi responderis, nescio; equidem adhuc responsum non accepi. Affirmo tibi, me aliqua saltem verba summe desiderare. Identidem, cum nihil a te acciperem, speravi te ipsum responsum allaturum esse, praesertim quoties de multorum candidatorum adventu ex vicinia tua sermo erat. Sed eheu toties illa spes irrita facta est! Iuvenes quos dum vivo nunquam videram, venerunt, sed amicum meum Gilles, cuius desiderium ingrediendi in Societatem a multis annis noveram, adhuc nondum inveni.

Deum precatur ut amicus omnia impedimenta superet.

2. — Fateor autem, me non desinere Deum orare, ut omnia impedimenta, quae tibi fiant ne vocem Eius sequare, forti animo superes, utque per ea potius ad eam sequendam confirmeris, quemadmodum Deo miserente mecum indigno actum sit. Ceterum gaudiis fruor ineffabilibus: « *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est et nos liberati sumus* ». Ps. 123. O, amice dilecte, ne sinas te saecularibus vinculis retineri. Rem illam quae in aeternum tibi proderit praepone, precor, omnibus rebus, quas alii, ut videtur, tibi profuturas esse putant vel praetexunt. Tempus nunc deficit ut longius scribam; interim vehementer responsum aliquod exspecto. Nosti, dilecte amice me benevolentia et amore fraterno adduc-

tum id scribere. DEO pro me gratias age Eumque precare, qua est misericordia, ne me miserum reiciat. Ab officio meo erga te non discedam; iterum promitto. Vale amice aestimatissime.

Devotus servus tuus sincerusque amicus
I. P. ROOTHAAN Nov. Soc. Iesu (1).

ARCH. SOCIETATIS IESU, BRUXELLIS. 450. 24 (*Versio ex ling. neerl.*).

XXXIII. AD PATREM ADAM BECKERS.

1. *Vota et preces ut R. P. plane e morbo convalescat.* — 2. *Pius VII et Em. Card. Consalvi in Societatem benevoli.* — 3. *Non autem desunt qui eam insectentur.* — 4. *De RR. PP. Malevé et Henry.* — 5. *Societatis amore in dies magis inflammatur. Gratiam vocationis ut pretiosam Evangelii margaritam a Deo acceptam gratissimo animo praedicat. Precibus Patrum se commendat.*

Dunaburgo, 12 Apr. 1806.

Reverende in Christo Pater

1. — Post diuturnum silentium, oblatam a R. P. Rectore facultatem ad R. V. scribendi avide arripiendam duxi, quo constaret R.ae Vae locorum distantiam nec temporis diuturnitatem

Oblata scribendi facultate laetus utitur.

(1) Litteris ad I. Gilles a Ioanne datis Math. Roothaan hasce adiecit:

Amstelodamo, 6 Sept. 1805.

Domine.

Adiunctam hanc filii mei epistolam ad te libenter mitto. Eam accepi e manibus R. P. Henry, eiusdem qui anno superiore cum eo, uti nosti, Dunaburgum iter fecit, nunc autem in patriam rediit. Ex eius ore cognovi quomodo res filii mei se habeant. Narravit mihi, eum non solum omnino felicem esse ac bene valere, sed etiam a R. P. Rectore magni aestimari et cum sociis suis bene convenire. Ne discessus quidem P. Henry eum commovisse videtur. « Malo (ita scribit) hic manere quam cum eo redire. In Hollandia non tanta fruerer laetitia quanta hic fruor. Haec est et manet immutata neque felicitatem meam describere valeo ». Sic concludit: « Deus me nuper (28 Iulio) intra numerum proximorum servorum suorum admisit, collatis *ordinibus minoribus*. Deo pro me gratias age, qui mihi indigno non desinit nova semper beneficia praestare. Orate pro me sicut ego in meis precibus vestri memini. Nostrum amorem in spiritualem convertamus oportet ».

Haec pauca verba certiorem te, quod spero, de mea benevolentia facient.

Subscribo,

Amicus tuus semper tibi devotus
MATH. ROOTHAAN.

ARCH. SOCIETATIS IESU, BRUXELLIS. 450. 24. (*Versio ex ling. neerl.*).

quidquam de debita mea erga ipsam observantiam, aut de grata tot tantorumque beneficiorum recordatione immutasse.

Vota et preces, ut R. P. plane e morbo recreetur.

Divina bonitas restituerit, ut spero, iamdudum R.^{am} V.^{am} pristinae sanitati, quam graviter labefactam fuisse intellexi nuper. Non parum affligebat me iste nuncius, cum sciam quanti sit momenti R.^{ae} V.^{ae} salus, a qua tot animae ad vitam aeternam diriguntur. Consolationi fuit voluntas Dei sanctissima, cui nos submitti quam humillime et conformari oportet, et simul adiuncta spes fore ut R.^{a} V.^{a} iam tum convalescens brevi consuetis in Dei obsequium et salutem animarum officiis redderetur. Nostro muneri, ex mandato etiam R. P. Rectoris, hic non defuimus, qui pro R.^{ae} V.^{ae} incolumitate preces fudimus constanter ad Deum, et vero etiam fundemus in posterum, ut diu R.^{a} V.^{a} ad maiorem Dei gloriam conservetur.

S. P. Pius VII et Em. Card. Consalvi Soc. Iesu benevolentia prosequuntur.

2. — Quod ad Societatem Matrem nostram carissimam attinet, sunt aliqua quae, nisi obstaret iniuria temporum, libenter cum R. V. communicaremus, ad ipsius et sociorum solatium. In his rebus sunt duae epistolae ad A. R. P. N. Generalem Roma missae sub initium mensis Novembris, altera a sanctissimo Papa nostro Pio VII, ab Em.^{mo} Card. Consalvi altera, utraque plena indiciis benevolentiae manifestis, et vere admirandis tam erga Societatem, quam erga A. R. P. N. Favore quo Summus Pontifex Societatem prosequitur, etiam confirmare videtur cura de beatificatione V. P. Francisci de Hieronymo, quam brevi promulgandam speramus. Exemplar decreti, quod S. Pater in hanc rem dedit, missurum se R.^{ae} V.^{ae} dixit R. P. Rector.

Beatificatio V. P. Franc. de Hieronymo brevi promulgabitur.

Neque tamen persecutiones desunt.

3. — Haec fausta multa infausta comitantur, tam hic quam Neapoli, si persecutiones inter infausta sint numeranda, et non potius inter certissima pignora Divinae benignitatis. Habet sane Societas amicos et fautores, sed certe longe plures inimicos, qui ipsam deperditam vellent: nec mirum, cum bonorum numerum mali undequaque longe superent. Verum Deus O. M. in quo speramus Societatem Filii sui non derelinquet; quod si Deus pro nobis, quis contra nos?

R. P. Malevé strenuus operarius Astracani. Vota pro R. P. Henry.

4. — Subinde nuncii ad nos referuntur a PP.^{us} Nostris Missionariis, qui in remotioribus Russiae partibus versantur. In his P. Malevé Astracani strenuum agit operarium, iam fere totus quantus Armenus. Concionatur, confessiones audit etc. Non dubito quin etiam P. Henry iam multum sciat Hollandice. Utinam cito possit R.^{ae} V.^{ae} labores sublevare, in procuranda maiori Dei gloria.

Societatis amore in dies magis inflammatur. Invenit pretiosam margaritam. Torporis se accusat.

5. — Persuadeat sibi P. Henry me ab illo affectu, quo erga S. Matrem nostram ferebar, cum ipse hinc discessit, nihil omnino defecisse, quin potius illum auctum esse et augeri in dies, cum magis in dies gustem et videam quanta sit praerogativa

vocatio ad hunc sanctum statum, quae tot ac tantis periculis eripit et ianuam aperit innumeris gratiis et meritis. Invenisse mihi videor pretiosam adeo margaritam, ut etiam si totum mundum pro ea tradidissem, maximum lucrum fecisse me existimarem. Quo igitur nunc et quo affectu ferri me par foret erga DEUM, qui mihi gratis omnino tantum thesaurum benigne obtulit. Hoc si mente revolvo stupeo torporem meum cum videam, quod innumeri longe ferventius daemoni ad suam ipsi perniciem serviant, quam ego DEO, qui me tot ac tantis gratiis praevenit et praevenire quotidie non desistit. Confido multum in sacrificiis et precibus R.ae V.ae ac Sociorum fore ut DEUS quod inchoare dignatus est, etiam ad finem perducat. Biennium Tirocinii iamiam completur, praeter bona desideria vix aliquid ex illo defero. Qui tamen dat velle, dabit etiam, ut spero, perficere. Faxit Deus ut spiritus, quantuluscumque sit, quem in Novitiatu hausi, non dissipetur, sed maiora in dies accipiat incrementa, postquam arctius Divinae Maiestati fuero adstrictus. Parentes, vellem, me ipsis adeo mortuum esse persuaderent sibi ut nec a me litteras requirerent, nec ad me mitterent: commendarent me DEO, prout ego mea parte nulla umquam die filiali officio desum et cogitarent de cetero, iuxta patrium adagium: *geene tijding, goede tijding* (1). Sed hoc difficile fore iam intelligo. Interim eos R.a V.a quaeso de meo statu faciat certiores. Saluto eos ex corde, ut et fratrem meum caeterosque amicos et notos. Desiderarem valde ut ex mea parte salus plurima diceretur D.no van Lennep. Commendo me enixe SS.mis sacrificiis et precibus R.ae V.ae uti et RR. PP. Groenen, Henry, Verbeek, quos ex corde plurimum saluto.

Precibus Patrum se commendat. Biennium noviciatus brevi complebitur.

Salutationes.

Sum cum omni reverentia et perpetua pro acceptis beneficiis gratiarum actione

R.ae V.ae

Humill.mus obseq.mus servus in C.o

I. ROOTHAAN *Nov. S. I.*

P. S. - Rogo humillime R.m V.m ut velit sive per se sive per P.m Henry, vel alio quovis modo inquirere de libris aliquibus prohibitis, quos domi reliqui deque iis statuat, prout videbitur. Scribo hac de re etiam ad parentes, quibus scribere alioqui non constitueram. Cum id serviat paci conscientiae meae, quam tamdiu R. V. direxit, spero fore ut hoc beneficium pluribus prioribus addere non recuset.

Mandata de libris quibusdam.

Exscriptum in ARCH. GENER. SOC. IESU.

(1) i. e. « nulla notitia, bona notitia ».

XXXIV. Ad Parentes Mathiam et Mariam Roothaan.

1. *Parentes divinae Providentiae cordi sunt; ipse in Societate vera felicitate fruitur.* — 2. *De libris quibusdam prohibitis.* — 3. *Fratrem monet, ut aeternam salutem omnibus rebus anteponat.* — 4. *Salutationes, mandata.*

Dunaburgo, 13 Apr. 1806.

Observandissimi parentes.

Gaudet quod Parentes sorte sua contenti sunt; divinae Bonitati omnes cognatos commendat.

1. — Litteras, quas 13 Nov. 1805 ad me dedistis, accepi ex eisque laetus cognovi, vos omnesque necessarios bene valere. Id maxime gaudio mihi est, quod contento animo vos esse video, quamquam de eo omnino non dubito, quia et eos qui Deo serviunt semper comitatur laetitia et equidem magnopere confido, Divinam Bonitatem vos in suo sancto servitio ac gratia conservaturam esse. Quod a divina Maiestate pro vobis, pro fratre, cognatis, amicis quotidie saepius precor. Ecce quantopere vos in pectore habeam. Num melius pietatis et gratitudinis officiis satisfacere possum, quam toties vos S. Iesu et Mariae Cordibus commendando. Nolite igitur putare, me cum non scripsissem Vestri fuisse oblitum, neve etiam solliciti sitis de valetudine mea: felicior sum, quam sive Vos intellegere sive ego litteris nuntiare valeo.

Vita in Societate Iesu omni ex parte beata est. - Deo gratias.

Profecto etiam longe abesse mihi videor, ut plene sciam quam felix sit status in quo vivam, cum in dies plura eius beneficia usu cognoscam. Quod dico tam de rebus temporalibus quam de spiritualibus. Societas enim etiam de rebus, quae ad corpus valetudinemque pertinent, maiori sollicitudine quam mater habere possit, providet. Nolite igitur dubitare, quin contentus vivam. Gratias agite Deo, orate pro me. Eius misericordiam implorate ut me potenti suo auxilio adiuvet, quo gratiis Eius respondeam Eique soli addictus sim.

Libri prohibiti, quos domi reliquit, tradendi RR. PP. Beckers et Henry.

2. — Inter libros, quos domi reliqui, aliquos esse memini, quos legere vel etiam habere vetitum est (1). Gratissimum mihi feceritis, si ostenderitis illos R. P. Beckers vel R. P. Henry. Apud eos innocui, immo utiles erunt, cum ut sunt Latine conscripti, domi nulli usui sint. Neque ut puto « Catechismus dioeceseos Montpellier », tom. III in 8° Flandrice, optimae notae est.

(1) Opera quaedam scriptorum graecorum et latinorum, quae studiorum causa venia impetrata sibi legenda et servanda fuerant.

Quod Mater nostra, Sancta Ecclesia, libros tales sine licentia haberi vetat, satis nobis sit, ut tamquam filii pareamus.

Fratris non obliviscitur licet separatim non scribat.

3. — Ne putet frater, me sui oblivisci, licet ei separatim non scribam. Continuo DEUM pro illo oro, ut dirigat gressus eius in viam salutis aeternae; ad temporalia quod attinet, Deus, ut spero, dabit ei, quod erit animae eius optimum, quia « *quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* ».

Monet eum verbis Dmi: « Quid prodest homini... »

Quae verba, ex ore aeternae Sapientiae fluentia, si carus frater cotidie meditari velit, bonam habeo spem, fore ut auxilio Divinae Gratiae tutus cuncta superet pericula, in quibus versetur, quae licet ipse fortasse non videat, me cum meminerim tremere faciunt. Non dubito, quin cum vobis SS. Cor Iesu devote colat. Quodsi in hoc sancto refugio se abscondit, bene securus est.

Salutationes, mandata.

4. — Commendo me precibus avunculi et materterae Meilink totiusque familiae, quos ex corde saluto necnon reliquos amicos notosque, qui forte de me rogant. Praecipue vero salutetis velim meo nomine cum grati animi professione D. D. van Lennep et Boelen. Post omnes nuntios, quos e postremis litteris accepi, plurimos cognatos et amicos salutare debeo; quod quidem, ut spero, Pater pro me faciat. Sum ac maneo in S. IESU Corde, in quo omnibus diei horis inter nos una esse possumus, debita cum pietate et reverentia,

observandissimi parentes, vester studiosus servus
gratique animi filius
I. ROOTHAAN Nov. S. I.

P. S. - Epistola vestra mense Aprilis 1805 per mercatorem Rigensem mihi missa, quantum scio non ad me pervenit. Sed diu postquam hae litterae scriptae necdum tamen a R. P. Rectore missae fuerunt, accepi vestras, datas 10 Apr. 1806, de quibus in epistola ad fratrem aliquid dicam. Velim etiam a me salutetis plurimum D. Coenders eiusque parentes, quorum piae recordationi me commendetis.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

XXXV. Ad Albertum Fratrem.

1. *Frater participem facere cupit felicitatis qua ipse fruitur; pia meditatio de fine propter quem homo creatus est; omnes in suo quisque vitae statu hunc finem assequi possunt.* — 2. *Salutationes, preces.* — 3. *Commendat fratri cultum B. Virginis Mariae; gaudet de eius pietate erga parentes; gratulatur de futuro matrimonio.*

Dunaburgo, 14 Apr. 1806.

Carissime frater.

Inexspectato contingit ei, ut etiam fratri litteras mittat.

1. — Non minus inexspectatum est mihi has litteras scribere quam accipere tibi. Cum enim heri tempore deficiente tibi separatim scripturus non essem, hodie, audito epistolam hesternam nondum missam esse, aliquantulum temporis liberi, quod mihi est, ad maiorem Dei gloriam in dandis paucis verbis ad te consumendum mihi esse existimo.

Quomodo frater felicitatis, qua fruitur, particeps fieri possit.

Magna semper animi voluptate audio, te in officio etiamnum esse D. Mosch, bona valetudine et animo contento, ut ex litteris quas interdum una cum epistolis Patris et Matris misisti cognovi. Quod ad me attinet felicitate fruor, quam neque tu intellegere vales neque describere ego. Cuius tamen non dubito quin particeps sis cuiusque te quantum in me est magis participem facere cupio. Quod cogitanti mihi videtur fieri posse, modo bene tibi exposuerim in quo beatitudo nostra hic consistat. Uterque prima pueritia e parvo Catechismo quaestionem didicimus, quae, si ab hominibus bene intellegeretur, omnes ita beatos faceret, ut dicere auderem neminem infelicem umquam fore. Est haec: *Ad quem finem creatusne est homo?* Responsum celeriter et accurate memoriae mandavimus, sed fatear oportet, me hic in Russia demum illud bene intellexisse, immo etiam nunc quotidie melius perspicere. Atqui id ipsum, si bene intellectum ad vitam traducatur, est in quo beatitudo nostra consistit. Quae beatitudo neque tibi nimis remota est. Non minus enim quam ego intellegis, frater mi, finem hominis non esse splendide epulare, pretiosis indui vestibus, divitias possidere etc., neque esse cur miremur, quotidie nos experiri, homines, qui in his omnibus maxime abundent, iisdem tamen felices contentosque non esse. Avis enim posita in argentea vel aurea cavea, optimis granis aliove cibo nutrita, propter haec contenta non erit. Aperias caveam, eligendi libertatem illi des: sine mora monstrabit tibi, omnia tua cupedia se non delectare, seque tantum contentam fore, si libere volare potuerit. Quare? Quandoquidem ad volan-

Beatitudo hominis consistit in fine propter quem creatus est.

Quis sit ille finis, quis non sit.

dum est nata. Sic neque homo unquam vere contentus esse neque vera perfrui quiete poterit, nisi persequendo fine ad quem creatus est, i. e. Deo *serviendo.* Omnia nobis adimi possunt: qui est dives, pauper fieri, qui bona fruitur valetudine, in morbum incidere potest. Quominus autem serviamus Deo, nulla res, nullus homo impedire potest; id sive male sine bene nobis est, id in omni ordine, omni tempore, omni loco facere possumus. Tu quidem, mi care frater, Deo potes servire in emporio ut ego in cubiculo; tu stilo tractando ut ego munere obedientiae implendo; immo tu cantando vel alias honeste te delectando ut orando ego. Quin etiam omnia nobis adiumenta esse possunt ad serviendum Deo, omnia possumus atque debemus ad id dirigere; aliud quid si quaerimus, a felicitate nostra recedimus. Solo peccato servire Deo non possumus. Quapropter solum peccatum et quod ad peccatum ducit odisse et fugere debemus, reliqua securi oculis aequis adspicere possumus. Neque diabolus neque mundus neque alia molestia ulla infelices nos facere poterit, si beatitudinem nostram in eo ponimus, in quo sita est, in servitio divino, quod cum Dei gratia semper in nostra erit potestate. Quare autem beatitudinem nostram in alia re ponamus? Mihi hic menti, tibi Amstelodami oculis quotidie obversatur: tum divites tum pauperes vitam finire. Iam vero, cum finis vitae adsit, quas voluptates ex divitiis retinet dives, quos pauper dolores ex inopia? Ille solus beatus tunc erit, qui vere Deo serviens vitam egit. Morienti reliqua iam transierunt, nobis viventibus similiter transibunt.

Deo serviendum est.

Quod in suo quisque statu omnes facere possumus.

Solo peccato homo Deo non potest servire.

Ipsi nonne pluries experti sumus, laetos dies non secus ac tristes transire, tristes non secus ac laetos? Iam age, ex iis quid nobis restat? S. Franciscus Xaverius Regi Lusitaniae suasit, ut quotidie meditaretur de his verbis Christi: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* Magnum fuerit mihi gaudium, si audiero te quotidie de illis verbis aliquoties meditari et interdum a te ipsum quaerere: *Quid prodest?* Faxit Deus ut omnium, quae transeunt cum tempore, vanitatem bene perspicias et sola aeterna magni aestimes. Neque tamen dicere volo tua tibi officia negligenda, res temporales nullo prorsus modo curanda esse. Haec interpretatio prorsus esset falsa; ad id enim ipse vitae tuae status te obligat, immo id si bene facis Deo servis. Hoc tantum dico: quae aeterna sunt, in animo tuo primum teneant locum, reliqua omnia iis cedant. Quaere felicitatem tuam in Religionis atque status tui officiis implendis; tum felicitatis meae particeps fieri poteris erisque tu Amstelodami sicut ego in Russia beatus. — Haec tibi scripsi, ut sincerum amorem meum tibi ostenderem, quamquam persuasum mihi est te

Omnia transeunt; frater meditetur, exemplum S. Fr. Xav. secutus de verbis Christi: « Quid prodest etc. ».

consilii non indigere, cum multos habeas, quos consulere tibi licet.

Salutationes preces.

2. — Peto, ut meis verbis Domino Dominaeque Mosch salutem et obsequium meum dicas, item amicis tuis Lurasco [1] et Dubbelt, quorum familiaritate te etiamnum uti spero, et aliis, quos mihi salutandos esse noveris.

Vale! memento mei in precibus tuis, sicut ego tui memini; noli oblivisci SS° Iesu Cordi me semel saltem in die commendare. Quod te his lectis promisisse e proxima epistola tua me spero accepturum. Vale, semper gaudeas in Domino. Maneo

studiosus servus tuus et frater amantissimus

I. Roothaan Nov. S. I.

Commendat fratri devotionem erga B. Virg. Mariam.

P. S. — Dies quo haec scripsi, qui est Sabbatum, (apud vos 26) admonet devotionis B. Virginis Mariae, cui te maxime commendo. Sub tutela huius piissimae potentisque Matris securi erimus.

Gaudet quod perentibus consolationi est.

Gratulatur de matrimonio, quod inire statuit.

In epistola Patris modo allata rem magni momenti legi, quam prae gaudio tacere nequeo. Maxime gravisus sum his verbis: *Frater tuus omni ratione nostra consolatio est.* Deo gratias in aeternum! Faxit Deus ut sic pergas. Quod additum est nondum exspectaveram. Deus, cuius voluntatem, a confessario tuo et a parentibus nostris tibi declaratam, in capiendo hoc consilio profecto obsecutus es, uberem benedictionem dare dignetur, ut fiat ad gloriam suam tuamque salutem. Quae sint status ad quem vocari videris obligationes atque difficultates, ab animae tuae moderatore et a Patre et Matre optime explicabuntur. Ceterum ad alteram partem huius epistolae referens, repeto hanc etiam rem reducendam esse ad Dei servitium. Omnia enim, ut dixi, quae peccata non sunt, et possumus et debemus ad finem nostrum ultimum convertere. Itaque qui matrimonium inire desiderat, in matrimonio ita Deo servire quaerat ut alius continentia. Velis igitur meis verbis salutare eam, quam tibi elegisti. Commendo me utriusque vestrum precibus, quibus quantum possim meis responsurum me esse promitto.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

---

[1] Plerique amici Alberti Roothaan, quorum nomina in epistolis leguntur, procedente tempore cum eo strenue adiuvarunt viros cl. qui rem Catholicam in patria restituerunt. Inter quos eminet Franciscus Lurasco.

XXXVI. Ad Ioannem Gilles.

1. *Quidquid est de diuturno silentio, ei optat ut Dei voluntatem in elegendo vitae statu sequatur.* — 2. *Brevi se religionis votis arctius cum Deo coniuncturum esse sperat; amici precibus se commendat.* — 3. *Proponit novum « pactum », quo inito alter alterum quotidie S. Iesu Cordi commendabit.*

Dunaburgo d. 22 Apr. (n. s. 4 Mai.) a. 1806.

Amice.

Amici memor, etsi nullas eius litteras accepit,

1. — Quamquam tempus minime sinit, tamen retinere me non possum, quin hisce ostendam me etiamnum vivere et tui meminisse, licet tua ex parte mei oblitus esse videaris.

Continuum silentium tuum satis mirari non possum neque eius causam divinare. Fortasse, sic quandoque mecum reputabam, in animo habet aestivo tempore nos visitare. Quidquid est, certissime constat, me maius Divinae bonitatis beneficium tibi optare non posse.

optat et precatur, ut ad Dei voluntatem vitae statum eligat.

Quae opinio tua paucis annis ante fuerit, optime scio, nescio quid nunc sentias. Ceterum tuum est iudicare quid Deus de te velit; vocatio Eius omnibus sane rebus praeferenda est. Quod ad me attinet affirmo, neque hac de re propter nostram veterem amicitiam immotus eris, me hoc statu meo maxime delectari, atque mihi persuasum esse meam ad Societatem vocationem maximum beneficium esse quod Deus mihi tribuerit, post vocationem ad veram fidem; hanc felicitatem in dies magis agnosco. Faxit Deus, ut copiosis quas in me cumulavit gratiis vere respondeam.

Brevi religionis vota nuncupabit; quod cum « sacrificium » dicatur, potius est maximum Dei beneficium.

2. — Non plus aliquot hebdomades sunt, quin duo probationis anni (1) absolvantur, post quos, ut spero, aeterno votorum vinculo Deo coniungar. Humiliter preces tuas peto, ut, quoniam Divinae Maiestati placet haec vota a nobis « Sacrificium » dici, cum sit potius beneficium infinitum quod nobis tribuit, sacrificium hoc magno cum animi ardore Ei offeram. Ora, ut vota mea in odorem suavitatis accipere et uberem gratiam ad ea explenda largiri dignetur. Tum incomparabilium divitiarum, quae continent, particeps fiam. Pete etiam, quaeso, pro anima mea illam obedientiam, fidelitatem, charitatem, quas Sponsus caelestis a sua Sponsa merito exspectat.

(1) Vota nuncupavit s. 21 Iun. (3 iul.) 1806.

Proponit novum pactum, priori simile, quo inito alter alterum S. Iesu Cordi quotidie commendabit.

3. — Equidem tui in infirmis precibus meis non obliviscar. Rogabo Deum, ut cumulatas gratias in te effundat, utque te per eas vias ducat, quae et S. Nomini Eius maiori gloriae et tibi maiori utilitati futurae sint. Sicut ambo quotidie SS. Trinitatem veneramur [1], ita etiam opto ut alter alterum saepe, semel saltem in die S.mo Cordi Iesu commendemus. Quae devotio, cum Divinae Maiestati valde placeat, utilissima est omnibus qui eam colunt, in quorum numero non dubito quin et tu ponendus sis. Ceterum me tuae veteri amicitiae commendo, cuius quidem pignus, Deo favente, videre cupio, litteras dico tuas, quibus de tuo statu certior fiam. Scribas, quaeso, etiam quomodo linguae Hebraica et Graeca apud vos doceantur, omnia ad maiorem Dei gloriam et ad honorem B. Virginis Mariae.

Vale amice.

Fidus servus tuus amicusque sincerus

I. Roothaan, Nov. Soc. Iesu.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

XXXVII. Ad parentes Mathiam et Mariam Roothaan.

1. *A R. P. Rectore iussus hanc epistolam scribit.* — 2. *Vota religionis nuncupavit; munus docendi in schola suscepit.* — 3. *Litterae S. P. Pii VII A. R. P. Generali datae.* — 4. *Societatis incrementum.* — 5. *Dolet de morte R. P. Beckers; gratulatur R. D. Schrant.* — 6. *Salutationes, mandata.*

Dunaburgo, 25 Oct. 1806.

Carissimi parentes.

A R. P. Rectore iussus has litteras scribit, quas propter continuas occupationes sponte scribere non ausus erat.

1. — Praeter exspectationem R. P. Rector in cubiculum meum ingressus, iussit me litteras ad vos dare, ad quas scribendas sponte mea profecto tempus insumere ausus non essem propter labores, qui me detinent. Nunc vero ab obedientia iussus securus sum, cum persuasum mihi sit, me non melius tempore uti posse quam ex voluntate Eius a quo tempus acceperim. Haec est beatitudo status nostri: si mei iuris essem, putarem

---

[1] Cfr. ep. I.

male me agere, faciendis aliis rebus quam quas munus a me exigeret, at sub obedientiae ductu certo scio, Deo curae futurum esse, ut hora muneribus meis detracta eis perficiendis minime noceat. Revera sancta obedientia inaestimabilis margarita est; laus Deo, per quem mihi eam invenire licuit. Ne sinat me peccatorem indignum unquam eam amittere.

Die festo S. Aloysii vota religionis nuncupavit.

2. — Dies festus S. Aloysii constitutus erat, quo per sancta religionis vota arctius me Deo coniungere liceret. Iam non liber sum sed ligatus, non ferreis catenis, quae graves sunt, sed aureis, quae decorae et praeclariorem libertatem mihi significant. Paulo postquam his votis Iesu socius factus sum, munus magistri infimae, qui pueros elementa linguae Latinae docet, mihi impositum est. Hoc officium instituendae iuventutis singulariter nostrae Societatis proprium est, quo medio utitur ad consequendum finem suum, salutem dico atque perfectionem, non solum propriarum animarum sed etiam proximorum. Hoc mense scholae inceperunt; idcirco studium meum omne omnemque curam in id confero, ut cum pueris repuerescam, in eos elementa Linguae Latinae sensim et pedetentim transfundam, maxime autem eos doctrinam et virtutes christianas doceam. Faxit Deus ut hoc officium bene perficiam. Ad id precibus vestris enixe me commendo; precamini ut verus Iesuita fiam, verus socius Iesu, qui pueros tam singulari pietate prosequebatur, tam benigne et suaviter ad se vocabat. Ecce, quod ad me attinet, praecipuus nuntius. Ut vobis demonstrem, quanta animi pace et tranquillitate fruar, unum hoc addo, parce utens tempore mihi valde pretioso, non melius vos pietatem erga me significare posse, quam precando Deo ut me in hoc S. Servitio conservare dignetur.

Munus magistri infimae ei impositum est.

Magni id munus facit, quod piis precibus parentum commendat.

3. — Multae profecto res nobis, Societatis Iesu filiis, dulcissimae consolationi sunt, maxime autem amor vere paternus quo Iesu Christi Vicarius nos prosequitur. Cuius amoris Sua Sanctitas nuper A. R. P. N. Generalem certiorem fecit litteris 2 Nov. datis, quibus ad epistulam respondit, qua ille electionem nuntiaverat: « Hic nuntius, inquit Sanctus Pater, nobis consolationi fuit, non solum eo quod per eum novum accepimus testimonium devotionis illius ac pietatis, qua semper Societas *eadem* huic santae Sedis insigniter adhaesit, sed etiam quod, cum audiverimus de viri huius meritis et virtute, intelleximus quam prudenter ac sapienter factum sit ut ipsi detulerint istam dignitatem. Ideoque id ipsum novum argumentum nobis est sollicitudinis atque affectus constanter fovendi, quo prosequimur coetum istum, qui singularia in Ecclesiam Dei fidemque Christianam emolumenta contulit, quemque paterno nos animo propterea negligere non possumus, quia certa nobis adest spes, fore ut in futurum

Sanctitas Sua Pius VII litteras benevolentiae plenas A. R. P. Generali, nuper electo dedit.

etiam tempus eadem inde commoda debeant exspectari. Quapropter non desinimus hunc coetum Patri misericordiarum commendare ut Ipse eum dirigere dignetur ad suam gloriam, ad salutem Ecclesiae, ad spirituale christianorum commodum. Quarum rerum pignus tibi et omnibus *singulis* eiusdem Societatis *membris* Apostolicam Benedictionem damus atque permanemus (sua manu subscriptum) PIUS Papa VII ». Litterarum inscriptio haec erat: *Dilecto Filio Thaddeo Brzozowski, Praeposito Generali Societati* IESU *Polociam* (1). His litteris aliae inclusae erant Em. Card. Consalvi, Secretarii Status, ad eundem A. R. P. Generalem datae. Cardinalis, qui haud minora signa benevolentiae erga Societatem ostendit, litteras sic absolvit: « Reverentiae Vestrae igitur persuasum sit, me non desiturum esse omne, quoad facere potero, auxilium ei dare. Reliquum est ut, quam sinceri sint hi sensus contester, affirmando *peculiarem aestimationem, quacum ex animo manus Eiusdem deosculor* ».

Litterae Em. Card. Consalvi.

Quod porro ad carissimam matrem nostram, Societatem dico, attinet, circumventa est a multis inimicis, qui tamquam leones rugientes circumeunt ut eam, si possent, devorarent. Quae quo minus cura et diligentia humana salutem vel etiam auxilium dare videntur eo magis confidit Deo, cui in talibus potissimum angustiis placet, Providentiam suam paternam ostendere et omnipotens praesidium nobis monstrare. Interim oremus, oremus!...

Plurimi ceteroquin sunt Societatis inimici.

4. — Hoc anno non multos externarum nationum candidatos, complures vero Polacos recepimus. Extremo mense Augusto vir quidam hic Societatem ingressus est, qui miro prorsus modo variisque viis e coetu Calvinistarum primum ad Sanctam Ecclesiam tum ad Societatem Iesu perductus est, publice in Germania haeresi eiurata. Clarissimo doctorum hominum genere natus est, consanguineus v. cl. Lavater. Dicit se tandem aliquando apud nos invenisse quod a puero semper frustra quaesivisset.

Inter candidatos Societatis multi hoc anno Polaci inveniuntur.

Vocatio Calvinistae cuiusdam.

5. — Pro nuntiis, quos in litteris vestris 5 Aug. dedistis, gratias ago. Maxime mihi dolori est mors Rev. Patris A. Beckers, quam ceteroquin iam audiveram, cum quae solent praecipi Sacrificia, Communiones, orationes, ad animae eius refrigerium nobis indicta sint. Quid dicam? Dominus dedit, Dominus abstulit! Sine dubio multi eo mortuo angustae viae ducem amiserunt, sed DEUS providebit. Etiam D. Hana morte commotus sum, sed alia prorsus de causa. R. Dom. Schrant copiosas

Preces pro R. P. Beckers pie in Dom. vita functo.

De morte D. Hana.

(1) Thaddaeus Brzozowski (1749-1820) Praepositus Generalis S. I. renuntiatus est die 2 septembri 1805.

gratias exopto, ut tanti officii [1] onus bene impleat, Deumque precor, ut in illo statu multas animas a se institutas secum ad aeternam beatitudinem perducat. Nondum scio quid de libris statueris. Quodsi data occasione libros aliquot, praesertim Graecos et Latinos, huc miseris, maxime exoptati recipientur. Magni pretii hic libri sunt atque ipso pretio gravior etiam est opera, quae ad eos comparandos danda est. Iam litteras absolvo meque iterum piae memoriae vestrae, quam mei in SS. Iesu et Mariae Cordibus habere velitis, commendo

Gratulatur R. D. Schrant.

Petit ut sibi libri qui scholae usui sunt mittantur.

Studiosus servus vester et filius amantissimus
I. P. Roothaan, S. I.

6. — Reverenter dicatis velim salutem imprimis RR. Patribus qui in De Krijtberg habitant, fratri, avunculo et materterae Meilink, reliquae familiae, amicis, notis, benefactoribus. Omnia nomina addere per tempus non licet. Spero eos coram Deo mei haud minus memores fore quam eorum me. Pater D. van Lennep et Boele gratam memoriam meam affirmare non omittat.

Salutationes.

P. S. - Ad Dominum Gilles litteras non do, sed velim ab aliis certior fiat, me eius perpetuo silentio non parum commoveri. Fortasse Patris calamus huic rei usui esse possit. Quod si fiat meis verbis valere iubeatur. Profecto Patri, qua est prudentia, licet nuntios quos his litteris de nostra Societate dedi, etiam cum aliis communicare.

Mandata.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) I. M. Schrant, unus ex amicis Amstelodamensibus Io. Roothaan, a. 1806 sacerdos ordinatus et Amstelodami ecclesiae « De Pool » sacellanus constitutus erat. Cfr. ep. III.

XXXVIII. Ad Parentes Mathiam et Mariam Roothaan.

1. *Quamdiu bellum gallicum gerebatur epistolas parentibus mittere non potuit.* — 2. *Interim divinae Providentiae eos saepissime commendavit, ut bona non quidem temporalia sed aeterna accipiant.* — 3. *Res adversae magni faciendae sunt.* — 4. *Varia nuntia.*

Dunaburgo, 3 Dec. 1807, apud vos 15.

Parentes honoratissimi.

Bellum gallicum impedivit ne litterae e Russia in Neerlandiam mitterentur, dein nimiis laboribus occupatus erat.

1. — Postquam diu silui, cum me turbatae rerum condiciones impedirent, tandem hodie datur ad vos scribendi occasio. Quamdiu bellum gerebatur inter Gallos et Russos, fieri non potuit ut litterae a nobis mitterentur, cum ego et omnes peregrini, quorum patria cum Gallis foedere aliquo coniuncta erat, iusiurandum dederimus nullam nos epistulam missuros esse ad civitates Gallis sociatas. Quod dein impedimentum cum pace constituta remotum esset, aliae res obstiterunt ne scriberem, praesertim, ut vere dicam, temporis angustiae quia tam scholarum quam aliorum negotiorum causa maximo labore occupatus fui.

Interea parentum coram Deo non oblitus est.

2. — Interea quod ad vos attinet omnino securus fui, cum persuasum mihi sit, Deum bonum vobis benedicere resque vestras regere. Videor mihi pro vobis melius facere non posse quam vos Deo commendare meque Eius servitio omnino tradere, quandoquidem preces et vota mea vobis eo plura et maiora impetrabunt, quo fidelius Deo serviero. Nolite autem putare me, quoties Deum precor, ut vobis benedicat, res secundas easque mundanas respicere. Minime. Fateor, ut aperte loquar, me in orationibus, quas profecto crebras in die pro vobis facio, non tam bona quae sunt huius vitae rogare, quam alia, attentione nostra multo digniora, quorum nobis fide cognitio est et quae sola nos revera felices facere possunt. « *Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur* », inquit Salvator noster. Quae verba S. Franc. Xaverium, cuius festum hodie celebramus, mente ea recolentem ad vitam sanctissime agendam converterunt. Ea ille etiam aliis, ut quotidie per quartam horae partem meditarentur, suadere solebat: *Quid prodest*? Quid prosunt divitiae, quid prodest honor atque magna in mundo aestimatio? Quid prodest libidinosa vita? etc. *Vanitas vanitatum* aiebat Salomon, omnia expertus. Nolite mirari, parentes carissimi, me haec scripsisse; huiusmodi enim sententiis verissimis abundare cupio. Quocirca Deum

Multum orat, ut a Deo accipiant non tam bona quae ad vitam temporalem quam quae ad spiritualem pertinent, accipiant; « quid enim prodest... ».

« Vanitas vanitatum... ».

quotidie oro, ut me et omnes, quibus arctius animo et recordatione coniunctus sum, eis magis atque magis impleat. Re enim vera misera est huius in quo vivimus mundi condicio. Quid enim? anima constamus et corpore, quorum illa communis nobis est cum Angelis haec cum animalibus rationis expertibus. Nonne miserum est, hominem delectari victu potuque aliisque voluptatibus carnis, quibus similis est iumentis, sensu autem Dei colendi glorificandique carere, quo similis esse possit spiritibus caelestibus?

Res adversae magni sunt faciendae.

3. — Itaque cum pro vobis oro, non a Deo peto ut vos ab omnibus calamitatibus et miseriis liberos servet, absit! Immo cum audiero vos perferendis rebus adversis crucis Iesu participes factos esse, id nedum contrister gaudendi mihi causa erit, quoniam ea ipsa filiorum Dei pars est. Non multa legisse necesse est ut sciamus, crucem esse regiam viam, qua Deus suos ducat electos. Quod quidem apparet e Festis quae celebrantur de Christi pueritia, quae nobis pie de hac re meditandi materiam abunde praebent. Sane nulla umquam in orbe terrarum familia exstitit carior Deo quam S. Familia Ioseph et Mariae et SS. Pueri Iesu. Videte autem ipsi quomodo Divina Providentia cum his SS. Personis egerit: quot res adversae, quae paupertas, quae persecutiones, qualis fuga in terram Aegypti externam atque infidelem...! Ne igitur cruces ac tribulationes tristitia nos afficiant, sed potius Dei memores faciant. Est enim notatu dignissimum, quantopere Dei iudicium hominumque inter se differant, quantopere Iesu Christi sententiae ac mundi. Quodsi octo beatitudines meditamur, etiamsi animo haud multum intento fiat, videmus Salvatorem beatos nominare eos ipsos, quos mundus tamquam infelices ac miseros plangere solet. Iam vero alteruter erret oportet, Iesus aut mundus. Utri credemus nos? Utrius sequemur iudicium?...

Ita Christus et verbis docuit et factis.

Parentes ei ignoscant hanc adhortationem qua profecto illis opus non est.

Abripior, nescio quomodo hac scribendi materia. Dum autem quae scripsi relego, menti subit, Deum fortasse id ita disposuisse propter calamitatem aliquam, quae vobis, parentes carissimi, aut iam acciderit aut eventura sit. Quidquid est, ignoscite quaeso. Profecto vos nullis meis adhortationibus egetis, sed Deus aliquando ita fieri vult, ut apparet in Christo, qui cum Deus esset, tamen in Horto ab Angelo voluit confirmari.

Varia nuntia de epistolis, de libris.

4. — Epistula vestra, 12 Apr. data, mihi allata est, altera non advenit. Sed neque D. Koppelaar (1) cui, ut ex priore cogno-

(1) Die 2 Dec. 1806 Mathias Roothaan filio scripserat, se D. Koppelaar, mense Septembri Rigam profecturo, litteras et omnes quos petivisset libros, perferendos dedisse.

vi, eam tradidistis, apud nos versatur. Libri non huc sed Pólociam pervenerunt, quod nil refert; muneri enim satisfactum est. Gratias vobis ago pro opera hac in re data. Hoc beneficium, quod innumerabilibus aliis adiungo, quibus vestrae caritati iam obstringor, animi pietatem auget. Nolite igitur cogitare me, etsi non saepe scribam, pietatis officium oblivisci.

De valetudine.

Pedes melius valent nec manus adhuc ex hiemali tempestate quidquam mali passae sunt. Quae quidem singularis Divinae Providentiae cura esse videtur, quia cum haec incommoda, sicut alia id genus, me quamdiu novicius essem sedi affixum detinuerint, ex quo tempore magistrum agam, ab omnibus istis hactenus ita liberatus sum, ut iam nihil me impediat quominus quod faciendum sit faciam. Contra postquam anno scholastico finis impositus est, circa festum dico S. P. N. Ignatii, leviter aegrotare coepi, ut per aliquot dies cubiculo retentus impeditus fuissem ne munera implerem, nisi ceteroquin iam vacarem.

De fratre G. Lauwers pie in D.no defuncto.

Unus eorum, qui e Brabantia per Amstelodamum ad nos iter fecerunt, hoc anno mortuus est, C. Gulielmus Lauwers (1). Ni fallor, cum duobus aliis Amstelodamo profectus est illo ipso tempore, quo P. Henry illuc rediit. Vita eius omnibus exemplo fuit, quia virtutes adeo insignes ex illo elucebant, ut R. P. Rector, morte nuntiata, statim adderet, credere se eum esse in caelo, quod quidem ex singulari eius spiritualis profectus studio et ardore recte iudicari potuit. Mortuus est Polociae 27 Oct. pridie illius ipsius diei, qua duobus annis ante Societatis vestem induit; memoria eius inter nos in benedictione erit.

De officio suo.

Officium meum hoc anno est magistrum Grammaticae et Syntaxeos agere, i. e. alumnos 2 et 3 scholae docere. Velitis igitur et me et pueros, quos Deus mihi quasi credidit, SS. Cordibus Iesu et Mariae commendare.

Salutationes, mandata.

Certiores facite, quaeso, fratrem ceterosque cognatos intimi amoris mei sensus eorumque piae memoriae me commendetis velim. Cum non supersit quod scribam cumque tempus mihi sit pretiosissimum, finem iam facio, protestatus omni cum reverentia me esse,

honoratissimi parentes,

vestrum memori pioque animo filium

I. P. Roothaan S. I.

Alios etiam notos salutare velitis, praesertim DD. Boele ac van Lennep, qui mihi etiam tunc Amstelodami versanti dixit: « si ipse ad me non scripseris, saltem ex Patre tuo interdum

(1) Gulielmus Lauwers, Belga, n. 1777 in pago Hacht, ingr. 1805, ob. 1807.

cognoscam quomodo valeas ». De RR. PP. eccl. De Krijtberg; non est quod quaeram.

N. B. Iam dudum parata haec epistula erat, cum facultas mihi data est scribendi ad RR. PP. in « de Krijtberg ». In illa epistola nuntii quidam referuntur, quos RR. PP. vobiscum libenter communicabunt. Commendo me vestris precibus. Valete.

Litterae diutius hic manserunt ob perturbatam, ut puto, rerum condicionem, qua divina Provindentia ita usa est, ut nudius tertius vestras litteras 6 Ian. datas acceperim. Quas cum legerem dolebam de cura ac sollicitudine mei, qua vos, Mater praesertim, scripsistis (1). At vero, vita mea nonne in manibus DOMINI est? 1° DEUS enim omnia novit, ideoque etiam illa quae nobis necessaria sunt; 2° DEUS omnipotens est; nihil ergo nobis accidere potest, quin ab Eo dirigatur; 3° DEUS qui est infinite bonus, vult ea quae nobis maxime prosunt. Quidnam igitur timendum? Quodsi his consideratis solliciti sumus, nonne timendum est, ne audiamus gravissima verba, quibus Christus Apostolos de infirma fide reprehendit: « *Modicae fidei, quare dubitastis?* ». Gratias ergo agatis DEO neque umquam desieritis gratias Ei agere pro infinito amore, quem mihi praestitit atque praestat! « *Dominus regit me et nihil mihi deerit* ». Ps. 22. Valete! Salutate, quaeso, amicos, notos, cognatos etc. Valete, parentes honoratissimi.

Parentes ne solliciti sint si quando epistolae diutius desiderentur.

In manu Domini sumus.

Filius vester beneficiorum memor atque amantissimus

I. ROOTHAAN S. I.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

(1) Parentes non tam litterarum intermissione quam nuntio adversae filii valetudinis solliciti erant. Audiverant enim eum pede offenso laborare. « Quapropter, ita pater 2 Dec. 1806, spero te me quam primum certiorem facturum esse valetudinis tuae ». Dein verbis amoris plenis ita pergit: « Pigritiam tuam ad scribendum, carissime fili, vix non tamquam duritiam sentire possumus. Vivimus rerum tuarum plane ignari et quamvis libenter bona valetudine tua et animi tranquillitate laetaremur, incerti sola spe contenti esse debemus. — Nuper etiam professor van Lennep, quem adieram, dixit, se non parum pigritiam tuam mirari seque te litteris praeventurum esse. Quod si fecerit mihi sane gratissimum erit, eo quod mihi et illi et omnibus amicis tuis sopitus esse videris ».

XXXIX. Ad P. Henricum Groenen S. I.

1. *Eius conservat memoriam.* — 2. *Filii Societatis Neapoli expulsi sed in compluribus Italiae urbibus excepti.* — 3. *Patrum ministeria Romae et Urbe Veteri; Deus eorum necessitatibus providet.* — 4. *Nuntia bona et mala.* — 5. *Ex primis tirocinii sociis solus Dunaburgi degit.* — 6. *Sollicitus est de amico Gilles.*

Dunaburgo, 27 Dec. 1807 n. s. 8 Ian. 1808.

Rev. in Christo Pater.

Omnes Societatis filii amore piissimo inter se coniuncti sunt.

1. — Festis diebus nactus aliquid temporis a consuetis scholarum occupationibus vacui, iussu R. P. Rectoris, has ad R. V. eiusque socios litteras do idque libentissime. Non enim credat velim Rev. V. nos velut in patria Societatis degentes minus esse memores Sociorum peregrinantium. Quamvis enim corpore dissiti simus, semper tamen spiritu et charitate, arctis eiusdem Religionis vinculis, eodem promovendae Divinae gloriae studio, coniuncti atque obstricti manemus, eiusdem laboris socii filiique eiusdem piissimae Matris Societatis Iesu.

Laeti nuntii allati sunt.

2. — Diu, immo valde diu exspectatione suspensi fuimus, nescii omnino quid ageretur de sociis nostris, qui gravissima illa in regno Neapolitano coorta tempestate, ex iis partibus fuerunt eiecti. Tandem laetos accepimus nuntios, eos quasi praedatum euntes, non omnes quidem una manu unove exercitu coniunctos, sparsos autem per varia Italiae loca, strenue rem suam agere et praeclaras iam animarum praedas fecisse! Compluribus in locis exercitia spiritualia tradiderunt, et missiones sacrasque excursiones habuerunt cum uberrimo fructu, maxima Praesulum et Episcoporum satisfactione. Multi ex illis Romae degunt cum ipso P. Provinciali Pignatelli (1). In domo professa Societatis complures Iesuitae habitant, quindecim socii degunt ad clivum montis non longe a Capitolio. Ecclesiam quasi derelictam Sodalitatis B. M. V. sub titulo boni Consilii, huic domui contiguam, Em. Car. Vicarius illis administrandam dedit eamque transitu libero et commodo coniungi iussit. Ibi novendialia et tridua in honorem SS. aliaque pietatis opera magno populi

E sociis Neapoli expulsis multi Romae habitant, ubi solitis ministeriis operam dant, favente Card. Vicario, duce P. Pignatelli.

(1) Beatus Iosephus Maria Pignatelli S. I., Hispanus, n. Caesaraugustae 1737, ingr. 1753, it. 1797; instaurata Soc. Iesu in regno Neapolitano et parata via ad eius instaurationem universam, ob. Romae 1811. Beatorum cat. adscr. a Pio XI, 1933, R. P. Roothaan, praep. gen. contigit, ut introductionem causae eius beatificationis impetraverit.

concursu fiunt, exercitia traduntur, conciones et catecheses habentur, etc. Eam domum pius senator Rezzonico non alio quam Manresae nomine appellare consuevit.

Hoc quoque valde notatu dignum est. Cum Iesuitae saepissime invitentur ad habendas contiones et panegyricas etiam in aliis ecclesiis, cumque, ut moris est Romae, populo annuntietur foliis impressis, quinam in festis contiones sint habituri, nulla fit difficultas vocandi Nostros publice, etiam typis, « PP. N. N. e Soc. Iesu ».

Quinque novitii Neapolitani, qui expulsis peregrinis coacti erant in regno manere, variis usi mediis Deoque freti per plurima pericula Romam venerunt et P. Pignatelli se obtulerunt. Quos ille pro prudentia sua non prius aliis adiunxit quam audiverat posse se et debere hos et alios, quotquot sese offerrent, suo manipulo aggregare suaeque sortis participes facere.

Exc. Spir. ad modum missionis dederunt hominibus ad triremes damnatis.

3. — Exercitia ad modum missionis data sunt hominibus ad publica servitia et ad triremes damnatis. Deo singulariter adiuvante erant ad 200. Ultimo die omnes cum magna pietate communionem acceperunt a P. Pignatelli; meridie agmine processere ad venerandam S. Scalam, quod novum spectaculum summopere commovit populum, qui confertissimus comitabatur, magnopere admirantes, cum viderent homines ob scelera catenis vinctos tanta modestia, ordine, silentio, vultu poenitentiam et dolorem significante, procedere. Idem factum est Centum cellis et quidem, quae Dei misericordia est, si non maiore certe non minore cum fructu.

Festa S. Aloysii et S. P. Ignatii iterum Romae magna cum celebritate acta sunt.

Magna cum celebritate, Patribus nostris laudes praeclare ad populum praedicantibus, in compluribus ecclesiis festum S. Aloysii actum est.

Die festo S. Ignatii, qui summa pietate et magnificentia et populi frequentia celebratus est in ecclesia SS. Nominis Iesu, P. Gentilini [1] praeclaram laudationem, quae ab omnibus magno plausu est accepta, habuit, in qua etiam de Societate tam decore locutus est, ut vel ipsi inimici eam laudarent. Sacellum S. Ignatii, olim cubiculum in quo dum vivebat S. Pater N. habitabat, primum post Societatis abolitionem iterum publicae venerationi apertum est. Multi Cardinales ad id se contulerunt ut orarent; Missae continuo ordine a variorum ordinum religiosis cum devotione et concursu populi in eo celebratae sunt.

Laboribus fere nimiis omnes occupati sunt, Romae,

Mirum quantis laboribus Patres onerentur quamque alacri studio eos pro gloria Dei sustineant, potissimum Romae ubi maxime provecti et fracti aetate vivunt. Nemo inter illos invenitur quin sexagesimum aetatis annum excesserit. Inter alios

---

(1) Io. B. Gentilini n. Bresciae 1745, ingr. 1765, it. 1804, ob. Romae 1816.

in domo professa Societatis degit Iesuita, qui panegyricos aliasque multas conciones habuit, P. Avogadro, non ita pridem episcopus Veronensis, qui auctoritate S. Pontificis abdicato episcopatu Neapoli iterum Societati nomen dedit, inde ut alienigena expulsus est, demum cum aliis exsulibus Romam venit.

i. a. P. Avogadro, abdicato episcopatu,

Urbe Veteri

In oppido Civitavecchia plus 25 Socii numerantur, plerumque iuniores. Iesuitae ibi Seminarium clericorum moderantur, docent in scholis grammaticam, rhetoricam, linguam hebraeam, Theologiam scholastico-polemicam et moralem. Iam dudum in antiquo Societatis collegio habitant gaudio repleti, quod regularem disciplinam secundum Societatis Constitutiones sancte observare possunt. Catecheses, contiones, panegyricas habent magna cum auditorum frequentia et approbatione. Episcopus, Ill. Dms Lambruschini, qui Societatis filios plurimum amat, eorum pietate, ardore, laboribus magnopere gaudet.

in collegio Tiburtino,

In Tiburtino etiam collegio nostri degere videntur. Litterae enim mentionem faciunt collegii a R. P. Provinciali inaugurati, qui illuc cum octo aliis adiisse dicitur. Additur: « cum Iesuitae ibi nullos reditus habeant pro victu et necessariis impensis, Divina providentia videtur onus suscepisse eorum necessitatibus occurrendi. Insperatae nec petitae mittuntur illis eleemosynae tantae, ut iure merito P. Mozzi non dubitet affirmare, in eis ad litteram verificari illa S. Scripturae verba: *nihil habentes et omnia possidentes* ». Tribus etiam vicibus P. Pignatelli die postero ea ipsa summa quam pridie pro victu sociorum dederat, insperato pro eleemosyna missa est; prima summa fuerat 800 Scutorum.

alibi.

Plures aliae civitates in Romano, Etruria etc. Iesuitas petunt; verum tam tempora quam ipse exiguus sociorum numerus saepe huiusmodi petitionibus obstant.

Nuntia mala et bona.

4. — En R. Pater multa nova eaque sane solatio plena. Quamdiu duratura sint nos quidem nescimus, timemus autem ex variis auguriis ne magna procella oriatur. Ceterum Deus providebit ad maiorem suam gloriam..., quae si augeatur, nobis qui aliud non quaeramus sufficiat oportet.

Ex Anglia etiam litterae allatae sunt nuntiantes felicem nostrorum progressum in illo Regno, ubi plurimi ad nos accedunt et tirocinium peragunt. In America quoque Patres strenue laborant, quod R. V. fortasse iam ex illorum epistolis cognoverit.

E primis sociis suis solus remansit Dunaburgi, ubi grammaticam et syntaxim docet.

5. — R. P. Rector, qui cum multis negotiis nimium occupatus sit, ipse non scribit, R. V. eiusque sociis salutem pl. dicit. Sperat immo vehementer desiderat, R. V. quam plurimos bonos candidatos ad nos missuram esse. Iam ego fere unus remansi Dunaburgi ex omnibus, qui Amstelodamo venerunt; do-

ceo grammaticam et syntaxim. Reliqui nunc Polociae degunt. Unum, carissimum Gulielmum Lauwers [1], Societas militans, ut in Dno confidimus, transmisit ad triumphantem. Pietas eius et perfectionis acquirendae ardor singularis spem hanc faciunt. Mortuus est Polociae pridie illius ipsius diei quo ante duos annos religiosam vestem induerat, nobisque suavissimum odorem virtutum suarum reliquit.

Pia mors fr. G. Lauwers.

6. — Vehementer desidero aliquid scire de carissimo amico... [2]. Licet ille mei penitus oblivisci nec mecum agere velle videatur, ego tamen non possum illius non esse memor. Cum sciam, quantum habuerit olim desiderium nostrae Societatis, multum timeo quoties cogito de illis Dni verbis: *Vocavi et renuistis* etc. Saepius ei scripsi, sed nunquam mihi respondere dignatus est. Nunc quidem non scripturus sum, vellem tamen sciret, me eius esse memorem nec desinere pro eo orare. Quod si R. V. ei data occasione notum fecerit, mihi gratum erit. Interim in dies magis magisque cognosco quantam mihi gratiam misericors Deus praestiterit ducendo me sine multis ambagibus, suavissima sua Providentia ad hunc felicem portum. *Vere non fecit taliter omni nationi.*

Sollicitus est de vetere amico Gilles, quem R. P[i]. Groenen commendat.

Reliquum est ut R. V. eiusque RR. Socios orem atque enixe obtester, ut mihi a Deo impetrent gratias uberes ad vivendum omnino secundum statum meum et ad implendum ferventer ac diligenter quodcumque munus a sancta obedientia mihi iniunctum fuerit, ad maiorem Dei gloriam procurandam et ad uberes fructus animarum percipiendos. Proinde me meaque SS. Rev. V. Sociorumque sacrificiis et orationibus etiam atque etiam commendo.

Preces petit.

R.[ae] V.[ae]
infimus in Xto servus
I. P. Roothaan Soc. I.

Arch. Societatis, Antuerp. N. N. « Variae litterae S. J. » p. 280, 283. Non archetypum sed exemplar adhibitum est.

---

(1) Cfr. ep. XXVIII.

(2) Aliena manus delevit nomen; agi autem de Dno I. F. Gilles, ex superioribus epp. perspicuum est.

XL. Ad Parentes Mathiam et Mariam Roothaan.

1. *A Patre petit rationem qua Amstelodami homines, qui submersi erant, curantur.* — 2. *Nonnulla miracula a B. Franc. de Hieronymo facta narrat.* — 3. *Salutationes.* — 4. *Varia nuntia.*

Dunaburgo, 12 (apud vos iam 24) Aug. 1808.

Parentes colendissimi.

Raedarius collegii in Dunam flumen cecidit et mersus est. A patre petit rationem, qua huiusmodi homines in Hollandia curantur.

1. — Cum mense proximo Decembri vel Ianuario scripsissem, certe non tam cito novas litteras ad vos dare in animo mihi erat, eo etiam minus quod nullas adhuc ab eo tempore litteras a vobis accepi. Singularis autem causa est cur ad vos hanc epistolam mittam.

Duna flumine hoc anno solito vehementius inundante factum est, ut raedarius collegii nostri in aquam caderet et mergeretur. Quem diu quaesitum et tribus quattuorve horis post lapsum tandem inventum, omni quo potuerunt modo reficere conati sunt, at frustra. Tum occasione usus, cum R. P. Rectore de multiplici cura et praeceptis, quae in Hollandia submersis adhiberi noveram, locutus sum. R. P. Rector utile fore arbitratus est, si haec nobis nota essent, ut si casus incideret uti possemus. Peto igitur Patrem, ut mihi exemplar rationis curandorum submersorum mittere velit, quod ego in Latinum vel Polonicum sermonem convertam, ut non solum nobis sed etiam aliis collegiis, quo mittatur usui sit. Quodsi peculiaribus instrumentis opus est, Pater nobis gratissimum faceret, si data occasione per Societatis candidatum, qui ad nos iter facturus est, vel aliter quaedam mitteret. Equidem nescio an non aliud requiratur praeter eam, quae apud vos dicitur « Tabaks-Klisteerspuit » (1). — Ad maiorem Dei gloriam et ad auxilium proximorum!

Miracula a B. Fr. de Hieronymo facta.

2. — Omittere non possum ne quid ad vos de miraculis referam, quibus Deus praecipue in hac nostra ecclesia gloriam Beati Servi Sui Francisci de Hieronymo (2) ostendere dignetur. Haud dubito, quin notum vobis sit, eum paucis ante annis Beatis adscriptum esse. Ex quo tempore in nostra ecclesia,

---

(1) Efficax remedium restituendi submersi ea aetate habebatur fumus tabaci, per clysterem pulmonibus inflatus. Cf. Huishoudelijk woordenboek, auct. M. Noel Chomel, Lugduni 1760.

(2) Notatu dignum est, R. P. Roothaan, qui scholasticus cultum B. Franc. de Hier. tanto ardore propagasset, Generalem S. I. factum eius canonizationem a S. P. petitam impetrasse.

ubi imaginem eius et altare ei dicatum habemus, plurima insignia miracula facta sunt. Imago eius argenteis circumdata est donis, quae multi homines variis occasionibus in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis obtulerunt. Ut vestrae respondeam exspectationi praecipue vero ad Dei gloriam, qui mirabilis et gloriosus est in Sanctis suis, eorum aliqua commemorabo.

29 Mart. 1807 aedituus a summa scala, columna ecclesiae revulsa, cecidit nec laesus est.

Anno proximo, die 29 Martii, cum Beatificationis sollemnia triduana pararentur et coadiutores cum novitiis nostris in ornanda pro viribus ecclesia occuparentur, aedituus laicus triginta annos natus Eius auxilium hoc modo expertus est. Mane quasi praevideret, quod sibi esset eventurum, confessus erat et S. Communione suscepta se ipse singulariter Beato commendaverat, ita corde orans: « Hodie ad honorem tuum, nove Patrone, alte mihi in ecclesia ad tollenda et religanda serta festiva ascendendum erit. Adiuva me omni in re ». Aliquot horis post accidit ei, ut scala, in qua stabat labaret. Manu arripit lapideam columnam, quae a basi revulsa una cum eo in maioris altaris gradus concidit. Iam hac columna oppressum iri videbatur; qui adstabant timore horrebant. At moles non in eum cadit sed iuxta! aedituus non solum vivus sed prorsus incolumis se sua sponte erigit interrogatusque respondit: « Nihil est; costae integrae, dolor nullus ». P. Rector de casu certior factus, accurrit eumque coeptum opus perficientem in scalis invenit; mox audit ipsum, pacate totum casum narrantem.

Idem 12 Iun. subito e gravi febri et morbo intestino convaluit.

— Idem homo hoc anno, per eiusdem Sancti intercessionem die 12° Iunii subito sanitatem recuperavit. Cum per aliquot dies lecto affixus, aestu febrique iactatus, compluribus medicinis e praecepto usus, semper peius haberet, se Beato commendare statuit. Duos anulos argenteos pauper offert, qui ad eius altare suspendantur, promittit se confessurum et communicaturum, Missam ante altare eius in modo crucis iacentem auditurum. Brevi post medicus venit qui aegroto decoctum aliquid bibendum offert, et dein ab eo rogatus ecclesiam adit. Vix egressus est cum aeger leviter dormire incipit; tum post quinque fere momenta in sommo vocem audire sibi videtur dicentem: *Surge et ambula.* Expergiscitur, surgit, non iam debilis; solus calceamenta pellemque induit et fere quingentos passus in silva deambulat; ibi ventrem levat sanguinea materia, quae morbi causa fuisse videtur, sanusque domum redux cibum rogat. Dein vestitus ecclesiam intrat, Vesperis interest. Stupebant omnes, qui gravem eius febrim norant; quidam eum delirantem domo exiisse existimaverant. Plurimum vero medicus ut hominem adspexit miratus est, seque paratum esse dixit iureiurando affirmare, hominem tam cito tamque plene sanitati restitui naturali modo non potuisse.

Medio mense Iunio sanatio inexspectata mulieris quae sex annos crure laboraverat.

Non minus miraculum fuit repentina sanatio, quae mense Iunio 1807 facta est. Nomina, quae quidem pronuntiare non poteritis, non scribam. Mulier, quae per sex annos crure laboraverat, postquam consultis medicis multisque medicamentis adhibitis magnam pecuniam perdidit, cum Beatificationis Servi Dei sollemnia in nostro templo haberentur, domi, quae in altera Dunae ripa est, campanarum sonum audiens, rogavit, quodnam Iesuitae Festum agerent. Responsum est, novum esse renuntiatum Sanctum. « Age, ait, si ita est, Illi mei pedisque curam commendabo ». Aliqui eorum qui aderant, modicae fidei homines, illuserunt eam. Illa autem paucis post hebdomadibus, animo confirmata, promittit se pede sanato, ad altare Beati parvum pedem argenteum esse suspensuram. Nocte insequenti in somnis Dominum Iesum cruci affixum adspexit, quem audire sibi visa est dicentem: Si feceris quod heri promisisti accipies quod a Deo petisti. De quo cum gratias ageret, audire se putavit: « *Surge* ». Simul vidit Dominum Iesum dextera manu a cruce soluta suum dexterum humerum tangentem et dicentem: « *Surge, iam sanata es, flecte genua* ». Quod ipsa dormiens fecit. Deinde vero expergefacta, cum se lecto relicto humi sedentem videret, anxia me miseram, ait, quo iam modo ego pede capta de solo surgere potero? Conatur nihilominus pede uti et eum non iam dolere sed sanatum esse cognovit! Quam primum promisso soluto coram Episcopo in ecclesia sanationem suam miraculo perfectam iureiurando affirmare statuit. — Iam complures pedum manuumque parvae formae argenteae prope imaginem Beati, ad gratias agendas pro beneficiis acceptis, fixae sunt.

Sanationes duorum Patrum, qui morbo hydropico affecti erant.

Duo Patres nostri collegii, alter 66 annos, 54 alter natus, sanationem morbi hydropici, qui pectus et caput iam affecerat, intercessioni eiusdem Beati debent. Alter Extrema Unctione suscepta spiritu in manus Dei commendato, mortem iam exspectabat. Nunc tam firmae est valetudinis, quam vir annos natus 40. Alter a R. P. Rectore ad medicum aliquem haud procul a collegio missus erat. Qui cum artem suam frustra adhibuisset, quamvis peritissimus, dixit se suis nihil facere posse medicamentis, nisi mortem retardare. Tum R. P. Rector aegroto scripsit, se eum in collegium reduci malle, quo melius ultimis Sacramentis ad mortem se praepararet; addidit autem ut Beato Francisco de Hieronymo se commendaret. Quod consilium Pater, ut e Dei voluntate sibi a superioribus datum, secutus statim cum socio orare incepit. Vesperi tumor, qui antea usque augebatur, minutus erat, deinde in dies magis decrescebat idque tam celeriter, ut medicus, cum octo diebus post eum in collegio iterum degentem inviseret, cum quodam timore di-

ceret: « vellem equidem mutationem minus cito procedere ». Interea tam continuo valitudo in melius ivit, ut iam omnino viribus restitutus sit.

Die 11 Martii sanatio paralytici.

Praeterire non possum aliam repentinam sanationem in ecclesia nostra hoc anno die 11° Martii factam, hominis cuiusdam, qui per duos annos paralyticus, continuis doloribus die noctuque vexatus, in idem semper latus cubare coactus erat, quippe quem, cum primum se converteret, animus deficeret. Hic auctore parocho, qui et ipse eiusdem Beati auxilio e morbo gravi convaluerat et Dunaburgum gratias acturus venerat, 10 Martii Dunaburgum se duci iussit, quo in domo fratris infirmorum ritu confessus S. Comunionem accepit. Tum P. Minister, qui Sanctissimum attulerat, ei suasit ut, cum tanta opera et labore Dunaburgum venisset, insuper utut fieri posset, in ecclesiam nostram se ferri sineret ibique Missae ad altare Beati interesset. Itaque postridie a duobus aliis adiutus, firma fide ecclesiam ingressus Sacro adstitit, post quod preces aliquas dixit et omnino sanatus surrexit! Sine cuiusquam auxilio, baculo omisso, ecclesiam reliquit. In gratiarum actionem tribus continuis diebus ante eiusdem Beati altare genuflexus, Missam audivit. Testimonium sua manu subscriptum mirae huius sanationis dedit, quod etiam iureiurando confirmaturus est. Quodsi beneficia omnia, quae hic intra breve tempus sedecim mensium experti sumus, commemorare vellem, librum integrum implere facile possem. Unum adiungere volo. Pauper muliercula, quae per tres annos dolore capitis vexata fuerat, in ecclesiam venit ibique ante altare Beati oravit ut per eius intercessionem a doloribus suis liberaretur. Antequam exivit secum simplici corde reputavit quodnam, pauper femina ut erat, in altari Beati donarium poneret? Manu in peram immissa promit minutum nummum, qui neerlandici floreni forte vicesimam vel summum decimam partem haberet; quem vixdum in altari posuit, cum se liberatam sentit dolore. Sanata ex ecclesia exit. Ex quo tempore nullo iam capitis dolore laboravit.

Sanatio mulieris pauperis.

Etiam viri illustres ad altare Beati adeunt.

Nonnumquam viri illustrissimi, pietate Beati nostri adducti, ecclesiam invisunt. Heri nobilissimus quidam cum uxore venit ut Missae ad eius altare interessent. Quae res, pro more illius familiae et pro regione in qua habitant, omnium animos ad se convertit.

Salutationes.

3. — En quomodo bonus Deus aliquorum fidem vel miraculis remuneratur et confirmat his ipsis diebus, quibus tot infideles et improbi homines Fidem Sanctam religionemque oppugnant, immo ut ita dicam conculcant. Spero fore ut Deus vos et cognationem omnem, cui ut etiam aliis notis et amicis, D° Boelen etc. multam dico salutem, praesertim fratrem a ma-

litia mundi conservet. Revera mala tempora sunt et hora venire videtur de qua Salvator dixit, etiam electos, si fieri posset, seductum iri.

Dominum IESUM continuo oremus, ut nos in Suo SS° Corde conservare velit; hoc enim tutum perfugium est, in hoc SS° Corde et in Corde B. Virginis Matris nostrae MARIAE saepe mei, quaeso memores sitis. Cum omni reverentia subscribo, parentes colendissimi

Vester sedulus servus et amantissimus filius

I. P. ROOTHAAN S. I.

Hoc anno Rhetoricam docebit.

4. — P. S. Oblitum me esse video scribere, me bene valere. Deo gratias. Destinatus sum ad docendam anno insequenti Rhetoricam. RR. PP. Ecclesiae « de Krijtberg » vobis exponent, quid hoc munus complectatur. Velim has litteras ut ad se etiam scriptas accipiant. Confidimus eos fratrum, qui in Russia sint, ita memores esse ut nos eorum meminerimus. Utinam RR. PP. nobis aliquot bonos candidatos mittant!

Vota, mandata, Salutationes.

Orate pro me et Deo gratias agatis pro beneficio incredibili, quod mihi cum me huc duceret praestitit. Cui utinam melius respondeam! Peto enixe, ut D.m Gilles meo nomine salutetis. — N. B. Has litteras mense Maio scribere incepi, sed tot impeditus fui occupationibus, ut tandem die quam illis nunc inscripserim, perficiam. — Amici, qui aegre ferunt quod ad se non scribo, id cogitare velint!

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

XLI. Ad Parentes Mathiam et Mariam Roothaan.

1. *Tota fere Europa bellis agitata Dunaburgi securam et tranquillam vitam agit; Deus providet et providebit.* — 2. *Deo gratiae agendae, Dei gloria procuranda usque est.* — 3. *De instrumentis quibusdam.* — 4. *Miracula a B. Francisco de Hieronymo facta.* — 5. *Uberes fructus Missionis.* — 6. *De martyrio Ven. Andreae Bobolae et de miraculis ad eius sepulcrum factis.* — 7. *Nuntii, salutationes.*

Dunaburgo, 12 Mart. (Nov. Stil. 24) 1809.

Carissimi parentes.

Non omnes epistolas a parentibus sibi datas accepit.

1. — Epistula vestra 2 Dec. 1808 data suo tempore, i. e. intra tres hebdomadas ad me allata est. Quae autem ante scripta erat et data Dno Coulemont (1), eam non accepi. De quo viro hic nihil notum est. Interea die 30 Ian. (11 Febr. apud vos) alius quidam nomine Peters (2), Brabantinus, mense Septembri Amstelodamo profectus, huc advenit.

Incendio belli per totam fere Europam vagante Dunaburgi secure et tranquille vivit.

Multiplices rerum et temporum mutationes, quas apud vos factas esse mihi scripsistis, et alii nuntii quos audivi me excitant, ut in dies maiores gratias agam divinae Maiestati, quae me immeritum a tantis rerum vicissitudinibus liberare dignata est. Versamur adhuc in Russia tamquam in sinu Abrahae in quo, tota fere Europa perturbata, incendio belli ubique vagante, tranquille vivimus strepitumque istum tamquam ex alta turri aspicimus. Interea tanta pericula videntes, horremus atque assidue clementissimum Deum oramus, ut tandem misericordia motus gladium ultionis, quo mundum tam diu iam castiget, in vaginam recondere dignetur. Timendum est ne etiam hic serius ocius aliquid eveniat, quo aut Religio nostra universa aut Societas, quae iam ab exordiis etiam hic sat multos habet inimicos, singulariter affligatur. Sed quoniam scimus, nihil fieri posse nisi Deus permittat, qui omnia regit et fieri sinit ad maiorem suam gloriam et ad suorum salutem, cum fiducia paternae Eius Providentiae nos committimus et tamquam infantes in ulnis tenerae et diligentis matris securi sumus. Profecto multis malis mundo iudice affici possumus et omnibus rebus orbari, at fieri non potest ut Deus, unus et verus

Deus misericordia motus gladium ultionis recondat.

Divina Providentia Ecclesiam et Societatem proteget.

---

(1) Iter D. Coulemont aliquantum retardatum est. Profectus ante Decembrem mensem a. 1808, Paderbornae consistere coactus erat, ut in ep. a. Math. Roothaan ad filium d. 2 Dec. 1808 data legitur. Demum ineunte anno 1810 Polociam advenit, quo Ioanni litteras parentum in manus dedit.

(2) Petrus Peeters, n. Heerenthals 1778, ingr. 1809, ab anno 1817 strenuus operarius eccl. De Krjtberg Amstelodami, ubi ob. a. 1862.

thesaurus noster, in quo omnia possidemus, nobis adimatur. Scribo haec non quasi sciam veri simile esse, aliquid grave nobis instare, sed solum ut vobis ostendam quam quieti, contenti, laeti in Domino hic vivamus. Sic singuli etiam securi sumus et indifferentes, quid nobiscum agatur, qua in regione, quibusve in officiis Deo per Superiorum ministerium nobis uti placuerit.

Gratiae usque Deo agendae pro omnibus beneficiis Eius.

2. — Mecum gratias agite, obsecro, SS. Cordibus Iesu et Mariae et orate ut Deus multa peccata mea, quae me hoc sancto et beatissimo statu indignum reddant, dimittat, utque copiosam gratiam mihi tribuat, qua in via spiritualis perfectionis multum progrediar, et in sancta hac Societate vivam et moriar. Deo gratias ago quod Ei placuit matrem et fratrem bonae valetudini restituere. Oro ut te et matrem et fratrem et reliquos propinquos secundum sanctum Suum beneplacitum diu conservare velit. Revera non habet vita multum suavitatis in se ipsa, imo repleta est miseriis et, quod est pessimum, peccatis; atque id mea ex parte saepissime, fere assidue me incitat ut in dies potius maturam mortem quam longam vitam exoptem. Alia ex parte tempus vivendi quamvis sit longum, tamen brevissimum est ad faciendum et patiendum aliquid pro Deo Eiusque gloria. Semel vita functi iam non redibimus neque ad laborandum neque ad merendum. Felix ille qui secum haec continuo reputet et ita vivere conetur, ut in dies plura pro aeternitate merita colligat neve sibi opus sit in hora mortis conqueri, quod tempus inutiliter triverit.

Brevis vita hominis et multis repleta miseriis tota consumenda est in servitio Dei.

De instrumentis curandorum submersorum.

3. — Vehementer gaudeo de alacritate qua eas res parastis, quae pertinent ad curandos submersos, quae si quam primum ad nos deferrentur, et mihi et praesertim R. P. Rectori pergratum esset [1]. Ver incipit et fortasse brevi Duna flumen redundaverit. Proinde fieri potest, ut artificiosum istud remedium nobis usui sit. Scribatis velim: Au Rév. Père Joseph Kamienski, Prêtre de la Compagnie de Jésus à Riga pour Dünebourg.

Miracula quaedam a B. Fr. de Hier. facta.

4. — Ex litteris vestris perspexi, res novas et solatii plenas pertinentes ad gratias mirabiles precibus Beati Francisci de Hieronymo hic impetratas, vobis non fuisse ingratas. Quare aliquanto plura eadem de re nuntiabo. Divina Bonitas Dunaburgum prae aliis locis elegisse videtur ad gloriam sancti servi Sui manifestandam. Anno praeterito 1808 mense Iunio illustri et diviti familiae hoc contigit. Filia quaedam in gravem morbum inciderat, qui statim medico mortiferus esse visus est. Nihilominus tres medici Universitatis Vilnensis vocati sunt, qui

Mense Iunio 1808 sanatio repentina puellae iamiam moriturae.

(1) Cf. ep. XL.

cognita re consultoque habito omnes puellam infirmam sanari non posse atque eo etiam die aut nocte subsequenti morituram esse iudicaverunt. Cum familia videret non iam superesse humanum auxilium, miserunt in collegium nostrum qui ad altare Beati donum aliquod offerret. Iam vero eadem die, qua omnes putabant puellam morituram esse, et eodem quidem tempore ut videtur, quo famulus ad collegium pervenit, puella se erexit et petiit aliquid ad manducandum. Postera die omnibus maxime mirantibus salva surrexit. Amita, quae pridie abierat ne videret morientem, tunc vero mortuam visura venit, eam sanam in cubiculo sibi occursantem invenit. Puto hac occasione factum esse ut familia haec gratias actura in nostram ecclesiam veniret; cuius rei, ni fallor, mentionem iam feci in priore epistula. Causa adventus, qui nobis mirus visus est, mihi tunc nota nondum fuit.

Sept. 1808 sanatio mulieris desperatae.

1808. 11 Sept. Venerunt ad nos qui gratias agerent et nuntiarent haec: Mulier, iam a pluribus annis vulneribus pedum vexata, quae frustra adhibitis medicamentis medici insanabilia esse iudicaverant, in febrim adeo gravem inciderat, ut brevi moritura esse videretur. Maestus coniux confugit ad Beatum Franciscum de Hieronymo neque frustra. Uxor, quae iacebat sensu iam carens, ad vitam rediit et consilium mariti secuta etiam ipsa se Beato commendavit. Non multo post salva surrexit, non solum sanata a febri, sed etiam a pedum vulneribus de quibus iam dudum desperatum erat.

Nov. 1808 mulier per intercessionem Beati Franc. sanata, dein, cum promissa facere differret, in morbum relapsa, subito convaluit.

1808. 29 Nov. Mulier gravi febri correpta sibi proposuit ut in nostra ecclesia in Beati honorem confiteretur et sacram Communionem acciperet, si sanitatem recuperasset; brevi post preces auditas esse sensit. Dum autem differt propositum exsequi, morbus recrudescit et febris priore gravior eam tanta vi aggreditur, ut etiam usum mentis ei adimat. Quo in delirio lucidum intervallum ei accidit, in quo meminit se precibus Beati sanitatem recuperasse, distulisse propositum exsequi, fortasse propter hanc dilationem recidisse. Iterum sibi proponit ut, cum primum salva facta esset, sine ulla dilatione ea quae promisisset exsequeretur; quod Deus clementer accepit. Statim convalescere coepit et intra paucos dies omnino ex morbo refecta ea quae proposuerat die condicto exsecuta est, gratias agens de sanitate bis intercedente Beato recuperata.

Extremo anno 1809 vir quidam e letifero morbo refectus est.

Vir quidam non longe ab hoc oppido in gravem morbum inciderat, qui brevi eum e vivis sublaturus esse videbatur. Uxor pia, timens ne coniux, sibi et liberis, qui scholam nostram frequentant mihique noti sunt, morte adimeretur, ad orationem confugit et expansis in crucis forma brachiis cum liberis procidit in terram, Deum per intercessionem Beati precans, ut

coniugi sanitatem restituat. Dein rogavit, ut Missa celebraretur ad aram Beati, cui liberi prostrati in forma crucis interfuerunt. Quo factum est ut vir mox omnino viribus refectus sit. Omnes gratias acturi ac pietatis officio satisfacturi in ecclesia nostra die 4 Ian. 1809 adfuerunt. Eodem die alius quidam Deo gratias egit, quod totum annum capitis dolorem gravem passus, tandem inito consilio visitandae ecclesiae nostrae et colendi altaris Beati, confitendi et S. Comunionis accipiendae, statim a dolore liberatus erat.

Item puer Ian. 1909.

1809. 12 Ian. Puer, moribundus, ut putabatur, et a patre dolore aflicto nostro Beato oblatus, statim convaluit et intra paucos dies omnino ex morbo refectus est.

Item mense martio 1809 duo viri.

1809. 3 Mart. Vir, cui pes graviter laesus fuit, non sine multo labore et acri dolore sanatus erat, cum medici eum ter secare coacti essent. At tandem aliquando diligenti curatione salvus factus erat. Hac autem hieme ei accidit, ut eumdem pedem offenderet et quidem tam vehementer, ut crus intolerando dolore usque ad genu tamquam truncus tumeret. Medicus peritus statim arcessitus, viso gravi casu, cum rem totam inspexisset aegroto dixit, non fore magnam spem sanitatis restituendae ante vernum tempus, quo ex recentibus herbis decoctum aliquod parari posset; immo etiam tunc valde dubium fore, an sanatio bene procederet; iteratam enim offensionem esse. Interea dolor permansit. Hunc vel tribus diebus sufferre aegroto grave erat, exspectare autem ver prorsus intolerandum visum est. Quapropter ad Beatum se convertit eique promittit, se pedem argenteum ad eius altare suspensurum esse, si carneus pes salvus factus esset. Quod vix sibi faciendum proposuerat cum dolor residit. Intra paucos dies sine alterius nisi Medici Caelestis auxilio, multum mirante medico terrestri, pes sanatus est. — Paullo post amicum, qui in gravem febrim inciderat, cum iam in vitae discrimine versaretur, Beato commendavit. Qui dein ipse quoque suadente amico ad Dei servum confugit. Iam age, mox convaluit. Uterque eadem die gratias egit.

Exercitia spiritualia pro populo missionis ritu habita.

5. — Ita Deus fidem et pietatem servorum suorum remuneratur. Quae quidem vere laude dignae sunt. — Hoc mense in ecclesia Exercitia Spiritualia tradita sunt. Quibus multi tanta constantia interfuerunt. ut Rectori, qui ea traderet admirationi esset. Per tres dies habita sunt. Omnibus exercitiis computatis, meditationibus, examine conscientiae, aliis, quotidie officia in ecclesia plus sex horas implebant. Frigus erat 12

Fructus uberrimos protulerunt.

graduum; ecclesia, sicut maiores ecclesiae Amstelodamenses lapidibus exstructa, hypocausta non habet. Nihilominus homines assidue Exercitiis interfuere, nullum omisere, nec mane nec

vespere, immo multi hora quinta matutina iam aderant, etsi prima meditatio hora sexta inciperet. Maior autem pars e devoto femineo sexu erat. Multi iique nobilissimi a longe venerunt. Hora quinta in Missa R. P. Rectori adsistens nonnullos vidi, qui prostrati in forma crucis Sacro Officio interessent; in frigido lapide procubuerant!

Narratio Martyrii Ven. Andreae Bobola S. I.

6. — Ut nos Dunaburgi magnum thesaurum habemus in B. Francisco de Hieronymo, ita Collegium Polocense pretiosum pignus possidet, corpus sacrum, integrum conservatum, venerandi Martyris Andreae Bobola [1] Iesuitae, quod Pinsca Polociam translatum est die 30 Ian. 1808. Qui postquam per viginti annos propagandae sanctae Fidei operam dedit, quo nonem Apostoli Pinskensis meritus est, tandem in manus incidit Kosakkarum, Schismaticorum hominum, qui illo tempore regionem ferro ignique vastabant, et internecionem sacerdotum inter pulcherrimos triumphos computabant. Patrem Bobola captum prius minis a Catholica fide abstrahere frustra conati sunt. Tum addunt plagas, detrahunt vestes, ad palum alligant, crudeliter flagellant; abscindunt ungues, excutiunt dentes, cutem a manibus avellunt. Quibus tormentis cum nihil proficerent, eum inter duos equites verberibus caesum in propinquum oppidum Ianoviam trahunt, ubi iterata crudelitate inaudita saevitia oculos eruunt, aures, nasumque recidunt, linguam etiam extrahunt ut saltem impediant, ne usque Sanctissima Iesu e Mariae nomina invocet. Denique acceptis duobus in capite gravibus vulneribus sanctus Martyr exspiravit. Martyrium pertulit anno 1657 die 16 Maio. Quam pretiosa coram Deo mors huius Patris fuerit, ostenderunt innumera miracula, quorum circa annum 1720 iam 106 inquisita et a testibus iureiurando confirmata auctoritate episcopali sancita erant. Ex quo tempore miracula fieri numquam desierunt. Nomen eius clarissimum est et sanctum Corpus, quod ipsum miraculum perenne dici potest cum sit incorruptum, ad nostram usque aetatem in urbe Pinsk servatum est, donec, anno proximo Imperatore approbante, ut dixi Polociam translatum est. Ibi tam a nostris quam a multis aliis, etiam a longe venientibus, sepulchrum eius pie visitatur et sacrae reliquiae coluntur. Tunicae corpori allatae, pileoli [2] capiti impositi iam dudum huc illuc mitti solent, quorum contactu multae gratiae impetratae esse dicuntur. Ei est nomen *Thaumaturgi Poloniae*. R. P. Rector aliquando ta-

Eius corpus, incorruptum, translatum Polociam, pie venerantur.

Tot tantaque miracula ad sepulcrum eius fiunt, ut Thaumaturgus Poloniae dicatur.

---

(1) Sicut canonizatio B. Franc. de Hier. ita beatificatio Ven. mart. Andr. Bobola a R. P. Roothaan praep. gen. facto petita et impetrata est. Moribundus servus Dei decretum « De Tuto » accepit.

(2) Huiusmodi pileoli, tum distributi, etiam nunc in variis locis cum pietate conservantur.

lem pileolum coram me in capite novitii cuiusdam, qui vehementi capitis dolore, cui iam a multis annis obnoxius erat, vexabatur, posuit; statim dolor cessavit nec unquam post novitius ille, quamdiu in collegio nostro degit, solitum capitis dolorem sensit. Huiusmodi autem gratiae non iam mirae videntur, cum innumerae sint. — Ex quo tempore sacrum corpus Polociae est, inter alia hoc accidit. Mulier iam viginti annos caeca, ubi primum audiit, P. Bobola corpus Polociam translatum esse, fide et fiducia mota aliquem in collegium misit, qui ad reliquias cereum accenderet. Reversum nuntium interrogavit cereumne dedisset et postquam ille respondit se ita fecisse, statim addidit mulier: atque ego video. Cui cum non crederetur, ostensae sunt nonnullae res, quibus singulis discernendis comprobavit, se a caecitate omnino esse sanatam. Hoc miraculum, notum factum omnibus, qui mulierem tam diu caecam fuisse noverant, legitime inquisitum ab Episcopo et a testibus iureiurando confirmatum est. Mitto cum hisce litteris particulam indusii, sacro corpori impositi, quod R. P. Rector ad id ipsum dedit, addens eam esse veram ideoque in reliquario deponere tibi licere.

Sanatio caecae mulieris.

Deus laudetur, qui per tot miracula, quae facit intercedentibus illis, qui in nostra Societate secundum eius regulas vixerunt, honorem eiusdem Societatis contra calumnias praeclare defendit.

Nuntii.

7. — Roma multa nova huc nuntiata sunt, etiam de Sanctitate Sua et de angustiis quibus premitur. Quae equidem non puto apud Vos nota esse posse..., at tempus ut haec scribam non iam permittit. Quare litteras absolvo commendans me sanctis orationibus vestris, praesertim eis, quas ad SS. Corda Iesu et Mariae facietis.

Salutationes.

Salutetis quaeso fratrem et eam quam sibi elegit sponsam; Deus utrique benedicat! item avunculos materterasque Meilinck et ter Horst, reliquam familiam, amicos, notos.

Carissimi parentes, vester servus et amantissimus filius

I. Roothaan S. I.

Mandata.

P. S. - Plurimam salutem et observantiam dicatis velim RR. PP. ecclesiae de Krijtberg, cum quibus ut communicetis totam epistulam, peto. Epistula quam D.no Boelen misi, praeter ea, quae illius propria sunt, eadem continet, quae nuper Latino sermone ad D. van Lennep dedi. Haec aliquo modo Patribus satisfacere poterit. Imprimis salutetis velim D.num van Lennep. — Video me multa menda fecisse scribentem Neerlandice. Sed haec mihi quaeso tam vos quam Dnus Boele ignoscatis.

P. S. - R. P. Rector iussit me salutem Vobis a se dicere; praeter particulam indusii Rev. martyris Bobola etiam pileolum per me mittit. Quibus utamini velim confisi Deo, Eiusque voluntati obsequentes, ad maiorem Eius gloriam.

Arch. Roothaan, Amstelodami (*Versio ex ling. neerl.*).

XLII. Ad Professorem Boele.

1. *Excusat se quod nondum litteras ei dedit.* — 2. *De studiis linguae Hebraeae diutius intermissis.* — 3. *Duobus tirocinii annis fundamenta vitae in Soc. Iesu agendae posuit.* — 4. *Hodie in schola litteras docet; praeclarum munus Dei amore susceptum.* — 5. *De valetudine sua.* — 6. *Proprietates quasdam linguae Poloniae exponit.* — 7. *Salutationes.*

Dunaburgo, 12 Mart. (24 Mart. e fastis Romanis) 1809.

Domine.

Quamvis beneficiorum memor, tamen scribere non potuit, quia tempus ei defuit.

1. — Timeo ne diutinum silentium meum tibi suspicionem moverit, neve me cum a tot annis ne unam quidem ad te epistolam miserim, ingrati durique animi incuses. At domine, id non accidit mihi multorum acceptorum beneficiorum immemori. Haec revera nimis sunt magna penitiusque animo manent defixa, quam ut longinquitate temporis aut locorum distantia evanescant. In temporis potius angustiis causa silentii mei reperitur.

Quapropter in litteris, quas parentibus meis interdum scripsi, semper rogavi, ut tibi observantiam et salutationem meam significarent, quod, quin factum sit non dubito.

Neque linguae Hebraeae operam dedit neque libros, quos v. cl. sibi misit, legit; nuper autem a lectione incepit.

2. — Multiplices occupationes non nisi pauca mihi relinquunt temporis momenta, quae linguae Hebraicae impendam. Itaque Psalmos quos benevole ad me misisti [1], hactenus nondum evolvi. Ingenue autem fateor, me culpa mea ne illa quidem pauca momenta, quibus identidem vacarem, eis legendis operam dedisse. Semper mihi proponebam ut cum primum plus temporis liberi nanciscerer statim inciperem, et interim quartis horae partibus, quae quandoque liberae erant, usus sum ad aliud quid Hebraice legendum. Errorem denique cognovi. Intellexi liberum tempus, quod exspectarem, fortasse numquam adfuturum esse, ideoque tandem aliquando Psalmos in manum sumpsi. Modo quarta horae parte, modo dimidia eis recognoscendis impendenda paulatim omnes me perlecturum esse spero.

---

(1) Cfr. ep. II.

Ceterum, domine, persuasum habeas, me quoties sive Soesman [1] sive Hebraicam Bibliam sumam, toties etiam domini Boele meminisse. Omnem enim, quam huius linguae habeo scientiam, fateor libenter, tibi debeo.

Gratias Deo agit pro beneficio vocationis.

3. — Quod autem ad vitae meae rationem attinet, nihil aliud dicere possum nisi me in dies magis experiri, quam sit beata, neque scire quo modo Deo pro insigni hoc beneficio dignas gratias agam. Fieri potest ut quid hic egerim atque agam scire cupias. Paucis igitur narrabo, ratus id tibi non iniucundum fore.

Duo tirocinii anni probationis anni sunt, virtutibus acquirendis et faciendis exercitiis spiritualibus destinati.

Duo primi anni postquam quis Societatem ingressus est, probationis anni sunt, virtutibus acquirendis et faciendis exercitiis spiritualibus e legibus Societatis destinati. Cum enim Societas nostra Iesu nomen gerat, primum officium nostrum est, vitam quantum possumus conformare ad exemplum Redemptoris, cuius socii et, ut ita dicam, cooperatores esse volumus. Finis Societatis respondet fini Ipsius Salvatoris; quemadmodum Ille id agebat, ut Deus ab omnibus hominibus cognosceretur et diligeretur, ita Societas. « Ad maiorem Dei *gloriam* » sententia est, quam S. Ignatius, dux et conditor noster, nobis quasi testamentum reliquit. Huic quidem fini assequendo inservierunt tot maiorum nostrum itinera, tanti labores et sollicitudines. Nostrae occupationes, quidquid facimus sive publice, sive in scholis sive in ecclesiis, sive discimus sive docemus, omnia quocumque versamur semper ad hunc finem ad quem vocati sumus spectare debent, omnia dico « ad maiorem Dei gloriam ». Id nostra a nobis vocatio postulat.

Iam vero tali vitae rationi necessaria est praeparatio, qua animus adversus difficultates, quae in exsequendo proposito occurrunt, firmetur. Cui praeparationi destinati sunt primus ac secundus annus, quibus animum ad ea praecipue quae Fides docet de Deo, de fine creationis, cet. adplicamus, ut quas illae veritates requirunt virtutes induamus, ut totam praesertim vitam omnesque occupationes ad Deum convertere neque aliud quaerere nisi servitium Dei adsuescamus, idque ea quidem quam praescribunt superiores ratione in omnibus rebus, quae legi divinae non repugnant. Tali modo in duobus hisce annis ponuntur vitae spiritualis fundamenta, quae posthac quotidianis exercitationibus magis magisque confirmantur. Expletis duobus probationis annis, paupertatis, castitatis, obedientiae vota nuncupamus, quae approbata sunt non solum Societatis prima confirmatione anno 1540, verum nuper etiam a Papa, qui nunc est, Pio VII in Brevi 7 Martii 1801 pro Russia edito,

Vota religionis S. I. a Summis Pontificibus comprobata.

---

[1] Cfr. ep. VII.

et recentissime iterum in Brevi quod 30 Iulii 1804 pro Regno Neapolitano et Siciliae datum est. Postquam igitur in his exercitiis duos annos egi, superiores, quoniam interea huius regionis linguam satis didiceram, munus mihi imposuerunt docendi in scholis; quod genus officii Societas nostra iam ab initio suum fecit, ut pueros, una cum latinae linguae aliarumque disciplinarum rudimentis, bonis moribus Deique timore imbueret. Nunc tertio iam anno ab infima schola ad superiores ascendens in hoc munere exerceor.

Iam tertio anno litteras in scholis docet, quo iuvenes Dei amore et bonis moribus instituat.

4. — Profecto huiusmodi labores non omnibus prorsus molestiis liberi sunt; sed quis non libenter ad gloriam Dei eas assumeret, qui pro nostra salute etiam vitam tradidit? Quodsi inveniuntur qui sive humanae gloriae causa, quae utique vana est et inanis, sive temporalis lucri, dificillima quaeque aggrediuntur opera, quanto magis nos, qui non temporalem huius mundi sed futurae vitae aeternam exspectamus mercedem? Sane glorioso socii Iesu nomine ille dignus non est, qui aliquod vitae suae spatium cum parvulis degere recusat, cum de Ipso Salvatore legamus, Eum iussisse parvulos ad se venire. Utinam cum pueris denuo puer fiam, secundum Eius verba: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum.* Intrare autem in regnum caelorum tanti valet ut is qui Evangelio credit, merito divitias et honores et delicias vitae omnes ex comparatione eius pro nihilo putet. — Post haec profecto studia theologica adgrediar.

Munus docendi in scholis a Soc. Iesu semper magni habitum est.

Cum pueris puer fieri cupit.

5. — Ceterum bene valeo, pro quo sint Deo gratiae, quia aer hic frigidissimus et saluberrimus est. Hiberno tempore frigoris vis acrior quidem est, sed humanum ingenium remedia bona invenit. In singulis cubiculis magna hypocausta vel potius fornaces sunt lapidibus exstructae, quarum cum advenissem unamquamque magna cum admiratione adspexi, quia tale quid nunquam videram. Quae fornaces in hieme semel in die, magna intus ligni strue incensa, ita calefiunt, ut calor moderatus per totum cubiculum dispergatur, multo melius quam e parvis focis nostris. Aperiuntur et incenduntur non in cubiculis sed extra ea, ut ignem nusquam videas neque etiam scias foris frigidum esse. Ne autem frigus cubiculo egressos gravius afficiat, pellibus sumus induti, quibus ego quidem a mense Octobri usque ad mensem Maium vel Iunium continuo utor; alii prius se illis exuunt. Calceamenta quoque intus lana vel pellibus vestita sunt, quod est maxime necessarium ut a frigore pedes protegantur.

Bona valetudine utitur.

Magna hypocausta, peculiari ratione instructa,

pelles et calceamenta intus lana vestita nimiam frigoris vim arcent.

6. — Lingua, quae in hac regione est Polonica, difficilior est, praesertim eius pronuntiatio. Multas habet consonantes inter se cumulatas, ut Szoz, Chrze, brzm; sunt voces, quae ex

Proprietates quaedam linguae Polonicae.

7 vel 8 constent consonantibus cum una tantum vocali, e. c. chrząszcz. Eandem originem habet quam Russica, veteram Slavonicam linguam. Verborum structura Latinae est similis, neque ut apud nos et apud Gallos voces certum sequuntur ordinem; quas proin invertere locis latino more licet. Declinantur nomina 7 casibus, quorum duo sunt ablativi, localis et instrumentalis. Vis tam substantivorum quam adiectivorum syllabis in quas desinunt, plurimum diminuitur vel augetur. Adiectiva fere omnia habent sua diminutiva, etiam duo vel tria, quae interdum singula suos habent comparativos et superlativos. Cum autem illis substantivorum modo uti liceat, lingua Polonica etiam in familiaribus sermonibus ornatissima est. Multae in hac lingua res sunt notabiles, sed haec pauca tibi scripsi, ut aliquid saltem novi tecum communicarem, quod spero tibi non ingratum fore.

Salutationes.

7. — Finem faciens commendo me amicitiae et piis precibus tuis. Deum oro, ut et tibi et familiae tuae benedicere dignetur et copiose remuneretur beneficia mihi praestita, quae nunquam obliviscar neque oblivisci unquam possum.

Salutes velim etc.

I. P. ROOTHAAN S. I.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

XLIII. AD PATREM MATHIAM ROOTHAAN.

1. *Polociam proficiscetur ad audiendam theologiam.* — 2. *Nuntium de morte piissimae Matris accepit. Deus Patri solatio erit. Suffragia pro eius anima a Communitate Deo oblata sunt.* — 3. *Timet ne postremae litterae, quas ad parentes miserit, amissae sint, cum etiam litterae parentum non paucae Dunaburgum non sint allatae.* — 4. *Salutationes.*

Dunaburgo, 4 Iul. (apud vos 16) 1809.

Pater carissime.

Litteras Patris et v. cl. van Lennep accepit. - Polociam proficiscetur ad audiendam Theologiam.

1. — Magno gaudio nuper litteras tuas datas 1 Martio 1809 accepi, quibus adiunctae erant litterae Domini van Lennep. Huic quam primum paullo plus temporis supererit respondebo, sive hinc, antequam Polociam proficiscar, mense Augusto, ut verisimile est, ad audiendam theologiam, sive illinc. Sunt autem quaedam rationes, ob quas hoc responsum differre nequeo.

2. — Ineunte Maio mense P. Rector me de morte Matris beatae memoriae certiorem fecit, cuius nuntium acceperat e litteris P. Groenen (1). Deus laudetur, quod hunc nuntium ita accepi ut caritas bene ordinata exigit. In eiusmodi rebus non est nobis nimium dolendum, *sicut ceteri, qui spem non habent,* ut Apostolus dicit, nobis inquam credentibus mortem eos, qui in gratia Dei defuncti sint, ex hac misera vita in meliorem et beatiorem traducere. Non dubito, quin hanc mortem ita tuleris, ut sanctissimae Dei voluntati te tuaque omnia plane commiseris. Si enim matre mortua multum amisisti, in divina Providentia, quae qui sibi confidunt numquam sine solatio relinquit, omnia abunde invenies. Interea conatus sum quantum potui pietatis officia erga carissimam Matrem b. m. praestare. Die 4 Maio, primo mense elapso postquam mortua est, singulari permissu S. Comunionem pro eius anima accepi. Etiam in omnibus aliis Communionibus et in orationibus quotidie ut decet memor et fui et sum. Rogavi quoque Patres Fratresque nostri collegii ut preces facerent, quod sine dubio amore fecerunt. Anima Angelae omnibus in triclinio publice commendata est. Certe scio, nonnullos Patres postridie quam nuntium accepissem Missam pro anima Matris obtulisse. Quin etiam R. P. Rector statim promisit se tres Missas pro anima Matris b. m. celebraturum esse (i. e. tot missas quot celebrari soleant pro nostris, qui in eodem collegio moriantur). Ante Missam, cum ei ad altare minister assisterem, dixit: Celebrabo hanc Missam pro Matre tua. Immo puto eum qua est liberalitate et caritate quartam etiam ad eamdem intentionem obtulisse. Scripsi etiam Polociam ad Patrem Ministrum collegii, confisus eum mihi hoc beneficium non esse recusaturum. Respondit se Patrum Fratrumque Missis et orationibus Matrem b. m. commendavisse, multosque Patres nominavit, quorum complures solo nomine mihi cogniti sunt, quos certo noverat Missas pro Matre celebravisse. Num pietatem erga Matrem melius praestare potueram? Magnopere confido, divina misericordia fretus, Matrem neque extremo vitae tempore neque post mortem doluisse quod se reliquissem, ut propius coniungerer Deo, fonti omnis solatii et salutis. Quodsi eam in terra hac, quae miserum exsilium et vallis lacrimarum est, iam non videbo, profecto, ut sperare licet, in regione longe meliore multoque maiore cum gaudio rursus una erimus.

Nuntium accepit de morte piissimae Matris.

Ne nimis doleamus sicut ceteri «qui spem non habent».

Dei Providentia, cui Pater se profecto plene commisit, ei solatio erit.

Omnes Patres et Fratres Missas, communiones, orationes pro anima Matris Deo obtulerunt.

In caelesti domo omnes iterum coniuncti erunt.

(1) Maria Angela ter Horst, mater S. D. nata die 17 Septembris a. 1748, die 4 Aprilis a. 1809 praemium vitae sancte actae a Deo acceperat. De eius beata morte Mathias Roothaan ad filium litteras dedit, quae utique d. 4. Iul. nondum Dunaburgum allatae erant. Cfr. adn. ep. XLIV.

Paulum sollicitus est de postremis litteris, quas ad Parentes misit, in quibus scribendis aliquantum tempus consumpserat. — Fiat Voluntas Dei!

3. — Paulum anxius sum de litteris, quas Aprili mense, nondum de morte Matris certior factus, misi. In eis multas res narravi, quae tibi profecto solatio esse possunt, singulares gratias et miracula dico, quae plurimae post priores huiusmodi rerum nuntios, quos ad te misi, per intercessionem Beati Francisci de Hieronymo in nostra ecclesia factae sunt; item tormenta Patris Bobolae, cuius S. Corpus innumeris fere miraculis celebre, anno proximo Polociam translatum est et in nostra ecclesia depositum. Adiunxeram insignem partem relinquiarum Venerabilis Martyris atque una cum imagine sericum pileolum, qui capiti eius impositus erat. Copiosas etiam litteras Domino Boele inscriptas ad te misi, quibus multa continentur quae et illi sine dubio maxime placitura erant nec tibi legenti ingrata. Nescio quid his litteris factum sit, in quibus cum vacarem aliquantum temporis consumpsi. Haud scio an non omnia iterum colligere possim; quare dolerem si allatae non essent. Fiat tamen voluntas Dei! Ea de re me quaeso quam primum certiorem reddas. Memineris etiam istius siphonis tabacini (1). Mentionem facis complurium epistolarum, quarum equidem nullam vidi. E longo tempore duas tantum a te accepi, alteram datam 2 Decembri 1808, alteram 1 Martio 1809. — De Domine Coulemont (2) et de litteris ei a te commissis nihil audivi.

Complures Parentum epistolae Dunaburgum non pervenerunt.

Salutationes.

4. — Rev. Pater Rector iubet me tibi suis verbis multam salutem dicere; item RR. Patribus, qui in de Krijtberg degunt. Quos et ego reverenter saluto, fratrem etiam sponsamque (3) eius, patruum et materteram, reliquam familiam, Dominos van Lennep, Boele, alios. Tempus deest ad plura scribenda. Commendo me memoriae tuae in SS. Cordibus Iesu et Mariae; Dei consolatio et auxilium tecum permaneant, Pater carissime,

Tuus amantissimus filius

I. P. Roothaan S. I.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) De quo cfr. ep. XL.

(2) Cfr. ep. XLI. — Ioannes de Coullemont, Belga, n. in oppido Mons 1787, ingr. 1809, ob. 1811.

(3) Albertus Roothaan 1809 uxorem duxit Ioannam Mariam Lappé, (1788-1826).

XLIV. Ad Patrem Mathiam Roothaan.

1. *Gratias agit pro tribus epistolis et pro instrumentis quae Pater misit. Sperat carissimum Patrem, Matre amissa, Deo se intimius coniuncturum esse. — 2. Frater Patri solatio erit. — 3. De opusculo quod inscribitur « S. Aloysius exemplar vitae ». — 4. Varii nuntii. — 5. Miracula a Ven. Andrea Bobola facta. — 6. Fiat voluntas Dei. — 7. Salutationes.*

Polocia, 10 Ian. n. s. 1810.

Observandissime et dilectissime Pater.

1. — His litteris respondebo tribus epistulis, quas diversis temporibus, 26 Aug. 1808, 19 Maii 1809, 5 Oct. 1809 ad me dedisti. Priores huc veniens accepi de manu Domini Coulemont ([1]), candidati S. I., qui non diu ante me itinere longo atque difficili Polociam advenerat, nunc novicius Dunaburgi degit. Idem mihi istrumenta ([2]) dedit, quae tam benigne misisti. Gratias tibi ago et spero Divinam Bonitatem te pro istis et pro innumeris aliis beneficiis, in me collatis, amplissimis praemiis in die retributionis remuneraturum esse. Singulae litterae pergratae mihi fuerunt, praecipue illae in quibus piissimum obitum defunctae Matris nuntiasti ([3]). Quod enim illi nuntio triste inerat, iam aliunde cognoveram, singulae autem res quae morientem comitabantur, quas in tua epistola legi, non nisi solatium attulerunt. Gratias ago maximas Patribus e De Krijtberg, imprimis Patri Verbeek ([4]) pro pietate, qua Matri in illis extremis horis, quibus de vita hominis in aeternum decernitur, adfuit. Deus, quod spero, eum et alios omnes qui Matrem in morbo eius adiuverunt pro piis curis abunde remunerabitur. Quod ad mutationes attinet, quas post mortem domi fecisti, vix significare possum, quantum mihi placeant. Spero te dulci otio, quod scio te iam dudum desiderasse, tandem aliquando magno animae tuae emolumento esse fruiturum, cum nunc magis vacuus sis valeasque e voto saepe solus cum Deo esse.

> Tres epistolas et instrumenta, quae petiverat, accepit.
>
> De morte Matris.
>
> Gratias agit P. Verbeek, qui Matri moribundae adfuit.
>
> Sperat Patrem amissa Matre intimius se Deo coniuncturum esse.

2. — Ceterum confido fratrem pro pietate sua semper memorem fore pietatis et reverentiae, quam Patri debeat, et gaudium otii tui quantum in se sit confirmaturum atque aucturum esse. Huic epistolae verba quaedam pro eo eiusque sponsa adiciam, quae non dubito quin ei grata futura sint. In litteris enim

> Frater Patri solatio erit.

---

(1) Cfr. ep. XLI.

(2) Cfr. epp. XL et XLIII.

(3) Vide litt. a. c. huius ep.

(4) Ioannes Verbeeck, S. I. Socius pp. Beckers et Groenen, n. Buscoduci 1778, ingr. 1806, ob. 1812 Amstelodami.

tuis, 26 Aug. 1808 datis, ad calcem paucis tristitiam mihi significavit, quod vix mentionem sui fecissem in litteris meis, petivitque ne sui prorsus obliviscerer. Rem quidem memoria iam non teneo, at mihi videor numquam omisisse eum in epistolis meis amanter salutare, quae ceteroquin etsi tibi missae tamen etiam ei scriptae erant. Tam longe absum ut eius prorsus obliviscar, ut nulla etiam dies praeterierit adhuc, quo non quater saltem et eius et tui coram Deo meminerim, a qua consuetudine Deo adiuvante numquam recedam. Deus benedicat coniugio eius eumque in omnibus inceptis perque vias omnes ducat feliciter.

Ne putet frater eum sui oblitum esse licet separatim non scripserit.

3. — In una e tribus epistolis commemoras libellum, qui inscribitur: « S. Aloysius, exemplar vitae », quem una cum litteris per Dom. Koppelaar ad me miseris. Koppelaar [1] ille huc quidem non advenit, libellum tamen iam dudum Dunaburgi accepi, sine dubio igitur etiam litteras tuas.

Opusculum quod inscribitur « S. Aloysius exemplar Vitae » accepit.

4. — R. D. Wedding [2] Bataviam profectus est; Deus incepto eius benedicat ac per eum multas animas ad beatitudinem perducat. Cuius rei an in Indiis Orientalibus occasio ampla sit, nescio; in America, ut nuntii quos subinde accipimus docent, agri iam messe albescunt. Dolendum sane quod apostolici operarii non sufficiunt. — Dom. Gilles tu vel RR. PP. ex De Krijtberg, precor, data occasione de mea memoria et aestimatione certiorem faciatis. Responsum ad litteras eius, 26 Aprilis 1809 mihi datas, hisce libenter adderem, nisi timerem, ne quod mittatur gravius fieret. Eadem de causa etiam has ita contraxi, ut ea quae in epistolis ad D. D. Boelen et van Lennep datis de me scripsi, quas profecto unus e Patribus ecclesiae de Krijtberg pro te vertet, omiserim. Ex illis epistolis accipies me a mense Augusto Polociae Theologiae operam dare et quam maxime fieri possit contentum esse.

Vetus amicus eius R. D. Wedding Bataviam profectus est. Deus ei benedicat.

Petit ut scribatur D.º Gilles et ut epistolae, quas adiunxit, ante a Patre legantur quam transmittat.

Polociae theologicis studiis operam dat.

Deus sit benedictus mihique copiosam gratiam tribuat, ut innumeris auxiliis, quae in hoc sancto ordine habeo ad pie vivendum, bene utar, ad maiorem eius gloriam et ad salutem aeternam non solum meae ipsius animae sed etiam aliorum hominum plurimorum. — Pedes mei, de quibus aliquatenus sollicitus esse videris, bene valent et me omnibus laboribus meis plene fungi sinunt.

5. — Cum Dunaburgi eram vobis aliquid narrare solebam de B. Francisco de Hieronymo, cuius cultus, ut audivi, hodie Lovanii magnopere augetur, nunc autem quaedam adicere velim de Ven. martyre Andrea Bobola, de quo etiam iam scripsi. Pla-

Miracula quaedam a Ven. Andrea Bobola facta.

---

(1) Cfr. ep. XXXVIII.

(2) Philippus Wedding, unus ex amicis Amstelodamensibus, post recuperatam aliquatenus libertatem Ecclesiae in Indiis Orientalibus Neerlandicis, eo missionarius profectus est.

cet Deo honorem Servi sui continua fere miraculorum serie hic augere. Sepulcrum eius, quamvis etiamnum occultum, cum leges Ecclesiae antevertere non liceat, perpetuo visitatur ab omne genus hominibus, qui etiam e longinquo huc veniunt, ut auxilium in necessitatibus morbisve consequantur, vel pro acceptis beneficiis gratias agant. Ex quo S. Corpus hic est duo caeci visum, surdus auditum eo intercedente receperunt. Multi aegroti valetudinem subito recuperaverunt, postquam eius precibus se commendaverant, inter quos tres inveniuntur, qui iamiam morituri habebantur et de quorum salute desperabatur. Per reliquias eius complures sanationem veterum vulnerum, quae medici insanabilia esse dixerant, consecuti sunt. Sunt qui claudi venissent ad sepulcrum visitandum et convaluerint; unus adveniens innitebatur baculo, quem rediens proiecit. Die 5 Sept. 1809 vir cum uxore hic gratias egerunt, pro insigni beneficio. Vir antea pessime vixerat nec iam per 20 annos ad Sancta Sacramenta accesserat, eo quod domi concubinam habebat, magno scandalo omnium vicinorum, magnoque uxoris dolori, quae quidquid dixit vel fecit, per omne id tempus duriter repudiabatur. Tandem hoc anno ineunte mulier vere pia se valide impelli sensit, ut angustias tam suas quam viri Ven. Martyri Bobolae, de cuius potenti intercessione tametsi 20 passuum millibus ab hoc loco remota audiverat, commendaret. Promisit se sepulcrum eius visitaturam et Sacramenta suscepturam esse, si gratiam desideratam consecuta esset. Vixdum hoc propositum sibi fecit, cum vir, qui ad id tempus optima usus erat valetudine, male se habere sensit inciditque in morbum gravem, cuius neque causa nec proinde remedium inveniri potuit. Per tres menses in hac condicione sine auxilio mansit, cum tandem uxori in mentem venit, fieri potuisse, ut morbus a Deo intercedente martyre Bobola immissus viro esset ad mores eius corrigendos. Aperit ei suspicionem narratque, quid sibi paullo ante in honorem Ven. Martyris faciendum proposuisset. Quo audito vir admiratione affectus in se descendit, animi habitu considerato arcessito sacerdoti peccata per tot annos commissa confitetur atque ut sinceram esse conversionem significet, statim proximam peccandi occasionem a se removet. Animae sanitate hac vere mirabili ratione restituta mox etiam corpus convalescebat, quod dein, quin ullum remedium adhiberetur, plane integrum factum est. Duplici beneficio agnito homo cum uxore Martyris sepulcrum visitare et ad Sancta Sacramenta recipienda huc venire statuit; quod ambo 5 Sept. 1809 perfecerunt, testati rem ita factam esse. Quoniam singulas gratias una cum adiunctis narrare non potui, hanc elegi, quae non tantum corpori sed etiam animae profuit, ideoque multo est

Caeci, surdi, claudi sanati sunt.

Insignis conversio peccatoris.

maior et mirabilior illis quae ad solum corpus pertinent. Quotidie cuncti Sanctum Martyris corpus quod integrum siccumque mansit visitamus. Cernitur nasus extrema parte truncus, oculus alter effossus, dentes aliquot elisi. Qui conspectus pium desiderium excitat obeundae mortis, unius illius mortis, quae omnibus obeunda est, pro Deo et pro Sancta Fide. Verum tanta felicitate quis dignus est? Quodsi tam felices non erimus ut pro Domino nostro Iesu Christo *moriamur,* saltem amplae dabuntur, ut spero, occasiones multum pro Eo *patiendi,* qui etiam ipse insignis honor est. Ora pro me, carissime Pater, et memento mei in SS. Cordibus Iesu et Mariae, in quibus quotidie inter nos una esse possumus et per quae speramus aliquando in aeternum coniunctum iri.

Omnes Patres et Fratres communitatis quotidie sepulcrum eius pie visitant.

Desiderium martyrii.

Saltem multum pro Iesu patiatur!

A professoribus van Lennep et Boele litteras accepit.

6. — DD. van Lennep et Boele mihi scripserunt, se mei videndi cupidos esse. Nihil aliud cupiamus nisi quod Deus voluerit. Si infinitae Eius Sapientiae placuerit me Amstelodamum ire, istuc me per Superiores meos mittet. Equidem uti decet Dei gratia adiuvante indifferens sum, sive Superiores me studiis absolutis hic retinere sive in Asiam vel in Americam mittere velint.

Quid de se fiat Deo permittit.

Ubique enim Deo servire potero sed nusquam alibi, nisi ubi Deus sibi a me serviri vult.

Salutationes.

7. — Vale, observandissime Pater, measque, quaeso, litteras ad DD. van Lennep et Boele mittas. Quas si volueris, prius legas; invenies quod tibi placebit. Precor ut RR. PP. e De Krijtberg salutem et observantiam meam dicas, quos non aegre laturos esse spero, quod ad se separatim non scripserim. Nihil enim peculiare scribendum habui neque dubito quin cum eis litteras omnes communicare soleas, quas ad te miserim. Item precor, ut avunculos et materteras et reliquos propinquos amicosque notosque omnes, qui aliquando de me exquisierint, certiores de mea existimatione facias. Deo gratias, qui pro Bonitate Sua reliquae familiae nostrae tam firmam valetudinem largiatur. Sum cum omni observantia et reverentia debita,

filius tui amantissimus et beneficiorum memor

I. Roothaan S. I. (1)

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) Aliquibus hebdomadis postquam mater mortua est, pater has litteras filio dedit.

Dilectissime Fili. *Amstelodamo,* d. 19 Mai. 1809.

Rev. Patres eccl. de Krijtberg me occupaverunt communicare tecum tristissimum nuntium mortis carissimae matris tuae. Plane nosti quanta fuerit pietate, quanta cura et diligentia, quanta animi tranquillitate. Primis diebus postquam mor-

XLV. AD ALBERTUM FRATREM.

Gratulationes de matrimonio inito, vota, salutationes.

Polocia, 10 Ian. n. s. 1810.

Carissime frater.

Paucis verbis tibi sincere et amanter gratulor de sponsa tua atque precor ut Deus O. M. utrique vestrum benedicere dignetur. Feliciter vivas amore eius, quam non dubito quin Deus tibi dederit. Coniugium tuum Deo sit gloriae, vobis felicitati, propinquis gaudio, solatio Patri. Status coniugalis sanctus est illis, quos Deus ad eum ineundum vocavit. Curae, quae ab eo inseparabiles sunt, si fuerint susceptae ad Dei honorem et ad explenda officia, profecto mercede caelesti non carebunt. Opus non est te monere, ut virtutem et religionem pluris aestimes quam eam quam mundani homines fortunam vocare soleant. Nosti sane reliqua omnia parum prodesse si anima detrimentum patiatur. Qui Deum amat et imprimis bona aeterna quaerit a Deo non relinquetur. Quodsi difficultates non desunt, sine quibus dum hic vivimus esse nemo potest, sancta Dei providentia Eiusque piissima gubernatio eas in bonum convertet.

Gratulationes et vota.

Status coniugalis sanctus est.

Religio omnibus bonis terrestribus anteponenda.

---

tua est, non potui tibi bene et ordinate narrare quae facta essent,... nunc autem meum esse duxi mortem eius vere christianam et res quasdam, quae mortem comitatae sint, tibi describere.

Feria III Maioris hebdomadae mater tua male habere et credere se febri laborare questa est... Nocte paschali,... cum aestu et angore vexata res quasdam ordinasset « age, aiebam, num solus mox currum trahere debeo? » — « Nequaquam, respondit, ne tristis fias, Deus adiuvabit et sublevabit te ». Die 2ª Paschatis animae suae ipsa medica fuit et ultima Sacramenta petivit... « Mortem non timeo, inquit, sed nosti quid inter nos convenerit... Nolim mori quin Sacramenta receperim ». Desiderio eius satisfeci... Vespere R. P. Verbeek eam verbis piis et precibus solatii pleniis adfuit; quas etiam ipsa mentis plane compos saepius recitabat manu crucem tenens, quam Societas moribundis dare solet... Nocte hora 2ª angusto spiritu ait: « quam fortia vincula sunt, quae animam corpori coniungunt ». Tum conditio eius ita mutata est, ut frater tuus iterum R. P. Verbeek quaesiverit. Qui vix quartam horae partem ei adstitit, cum animam reddidit Creatori, a quo, ut confidimus clementer et benigne recepta erit. Eadem die mane hora 7 S. Missae Sacrificium pro ea Deo oblatum est. — Ita mater tua me reliquit. Cum proficiscereris timendum profecto erat, ne nos iam non videremus. Id in ea factum est; verisimile est id etiam mihi obventurum esse. Ora igitur pro dilecta Matre tua, sed ora etiam pro me, ne separatio nostra sempiterna sit... Feria sexta constituta erat sepulturae... In duabus ecclesiis duabus continuis diebus exsequiae habitae sunt, tertia die denuo Missae pro eius anima sunt oblatae...

Pater tui amantissimus
M. ROOTHAAN.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

Quapropter non precor tibi divitias, quae paucos vel potius neminem unquam felicem reddiderunt, sed Dei amorem et virtutem, quibus, ut confido, iam nunc frueris atque deinceps etiam magis fruiturus es. Tum in divina Providentia thesaurum invenies, qui alibi frustra quaeritur. Vale, carissime frater. Te sponsamque tuam unum eumdemque habeo et proinde te salutando et sponsam saluto. Dicas velim salutem meam et observantiam parentibus sponsae tuae, D° Dnaeque Lappé, eorumque praenomina data occasione ad me mittas.

Salutationes.

Vale, carissime frater.

Frater tuus amantissimus
I. Roothaan S. I.

Sollemnia novi anni precatur.

Video me oblitum esse sollemnia novi anni precari, qui apud nos nondum incepit. Ex animo igitur carissimi Pater, frater, familiares omnia fausta vobis exopto.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

XLVI. Ad Patrem Mathiam Roothaan.

1. *Excusat se de longa litterarum intermissione.* — 2. *Gaudio perfusus nuntiat Patri, se d. 27 Ian. Sacerdotem ordinatum et die 2 Febr. primum S. Missae Sacrificium Deo oblaturum esse; id autem se applicaturum consanguineis defunctis, imprimis piissimae Matri, si etiam auxilii indigeat.* — 3. *Dignitas sacerdotalis postulat vitae sanctitatem, ad quam consequendam media praebet efficacissima. Omnium suorum preces rogat.* — 4. *De morte duorum Iesuitarum.* — 5. *De novis missionibus Societati commissis.* — 6. *Nuntii, salutationes, mandata.*

Polocia, 28 Ian. (apud te die 9 Febr.) a. 1812.

Observandissime Pater.

Excusat se quod tanto tempore non scripsit.

1. — Longa litterarum intermissio hisce, ut spero, ample compensabitur. Facile intellego tibi grave fuisse, per tantum tempus, iam plus duos annos, nullum nuntium a me accepisse. Ipse miror, longum spatium duorum annorum considerans, quasi nescius quomodo ita factum sit. Sed primum, propter multiplices occupationes, quae ex quo tempore in hac Societate vivo, Deo sint gratiae, numquam abfuerunt, tempus ita celeriter mihi praeterire videtur, ut duo anni fere tamquam duo menses praetervolarint. Dein, cum animadverterem, tempus iam esse scribendi, tamen melius me facturum iudicavi si etiam

paulisper differrem, donec laetissimum nuntium, qui hac epistola contineatur, tecum communicare possem. Ceterum, Pater mi, testor nullum unquam diem praeteriisse nec praeterire nec praeteriturum esse, quamdiu mei compos victurus sim, quin saepius tui, fratris, reliquae cognationis in precibus ad Deum factis recordatus sim atque recordaturus. Profecto melius equidem, tanto spatio a te disiunctus, tibi pietatis officia praestare non possum, quam quum omnem curam tuam, omne solacium, res omnes temporales, maxime aeternam salutem Patri caelesti in Sanctissimis Cordibus Iesu et Mariae, pro exiguis viribus meis commendem.

Ceterum suorum quotidie coram Deo memor et fuit et usque erit.

2. — Haec praefatus tanquam diuturni silentii compensationem et excusationem, quam et spero et mea quidem opinione aequum est tibi satis facturam esse, iam laetum nuntium, quem his litteris communicandum habeo cuiusque noscendi a quo legere incepisti, ni fallor, cupidus es, proferam. Unum quod pro me ipse in hoc mundo desideravi, quod mihi inde a pueritia in omnibus studiis ob oculos versabatur et prae quo omnem operam omnesque labores minimi faciebam, sanctissima Dei voluntate Eiusque maiore gloria primo semper loco habita, id tandem felix filius tuus consecutus sum. Tempus, a divina providentia sanctissime constitutum, quo ad honorem sacerdotalem proveherer, tandem anno 27 aetatis meae impletum est. Subdiaconus factus sum die 23, Diaconus die 25, Sacerdos die 27 Ianuarii, secundum calendarium, quo apud te utuntur, diebus 4, 6, 8 Februarii.

Unum quod a puero desideravit tandem aliquando consecutus est.

Die 27 Ian. sacerdos factus est.

Die 2° Februarii, in festo B. Mariae Virginis, apud te die 14 Februarii, primum, si Deo placuerit, sanctissimum Missae sacrificium offeram. Quod cum mihi videatur Matri p. m. deberi, ad refrigerium animae eius, si etiamnum opus fuerit, divinae Maiestati offeram, ut illa primos fructus sacerdotii mei recipiat, quae cum mihi vitam dederit primos sibi vindicare potest. Quodsi Mater beata auxilio iam non indiget, ut non temere spero, Misericordia divina velit s. Sacrificium fratri (1) p. m. aliisve cognatis, quibus poenae temporales persolvendae sunt, adhibere. Non dubito, quin desiderium iuvandorum consanguineorum qui vita functi sunt, utpote nixum bene ordinata caritate, quam nostris debemus, Deo gratum sit. Ceterum neque eorum qui vivunt ad altare obliviscar, minime tui, Pater mi, qui id primus a me iure exspectas. Ibi debitas gratias me redditurum esse spero pro curis in me collatis, pro impensis factis, pro innumeris beneficiis praestitis. Quodsi a te longe

Die 2° Febr. primum S. Missae Sacrificium offeret, quod animae piissimae matris ceterorumque cognatorum, in quantum indigent, applicabit.

Neque Patris, Fratris, aliorum sacra faciens obliviscetur.

(1) Frater natu maximus Philippus Gulielmus, qui puer undecim annorum a. 1782 mortuus erat.

Sic debitas gratias dilecto Patri agere poterit.

absum, non ideo amor minor est; immo fieri potest ut eo purior sit et acceptior Deo, qui profecto interna gratia compensare potest consolationem, qua alii parentes hoc ipso quod filii adsunt utuntur, qua cares a me, proterea quod piissimae Dei providentiae placuit aliud de me constituere. Quin etiam divina Bonitate fretus, quae ita de me constituit, ut quotidie Ei gratias agam, confido te quoque aliquando Ei mecum gratias acturum esse sempiternas. Certum est enim Deum bonum et fidelem esse neque ullum umquam sacrificium immensae Eius bonitati et liberalitati offerri, quin summo praemio remuneretur. Haec, quam habeo, firma fides facit, ut absque ulla vel minima sollicitudine vel anxietate omnia, quae ad te attineant, Dei providentiae committam neve dubitem quin omnia bene procedant. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* — Prima Missa dicta, alias pro te, pro fratre ceteraque cognatione, praesertim pro patruis et materteris offeram. Quod saepe praestare potero, quia praeter eas, quas secundum Regulas singulis annis, mensibus, hebdomadis pro Societate et pro benefactoribus defunctisve Societatis dicere solemus, de Missis nostris libere statuere valemus. Non enim accipimus stipendia. Quodsi aliquando offeruntur, superiores ea ad ecclesias aliorum Religiosorum vel ad Sacerdotes saeculares transmittunt.

Profecto est cur timeat, si summam vitae sanctitatem considerat, quam status sacerdotalis exigit.

3. — Nonne bene conieci, Pater mi, hisce litteris contineri quod tibi gratissimum futurum esset? Certe, cum me a te amari sciam, gaudeas necesse est ea re quae me gaudio ineffabili complet. Scio equidem sacerdotis dignitatem eximiam esse eamque postulare vitae sanctitatem, a qua longe absim; scio iudicium de sacerdote, qui non sancte vixerit, horribile esse futurum: sed confido Divinae Bonitati, quae me hunc vitae statum inire voluit. Sanctus est Ordo, sed ideo etiam media quae confert ad nos sanctos reddendos efficacissima sunt. Etenim singulis diebus se cum Redemptore, cum Salvatore, cum principio et fonte omnis sanctitatis intime coniungere; singulis diebus tam longo tempore orationi vacare e praecepto S. Ecclesiae, Sponsae I. C. et magistrae omnis sanctitatis, Breviarum dico, quod opus diei gratissimum mihi est, profecto aptissimum est ad hominem sanctificandum eumque, terrenum et carnalem, in caelestem et spiritualem convertendum. Rogo te omnesque, quibus status sacerdotalis pio suspirio precemini: *Sancti sint, Domine, sacerdotes tui, quoniam tu sanctus es.*

Sed confisus Dei bonitate et adhibiturus media efficasissima, quae Sacerdoti praesto sunt, sperat magis quam timet.

Ceterum omnium suorum preces petit.

Profecto si una Communio, quod testata est S. Virgo quaedam, sanctificationi nostrae sufficit, turpe est singulis diebus hac bona uti fortuna quin in via Dei progressum facias. *Quis,* ait pius Thomas a Kempis, *iuxta copiosum ignem stans, non parum caloris inde percipit?* Qui autem fieri potest, ut quis to-

ties DEUM ac Dominum, ignem ardentem caritas, in sanctissimo Sacramento accipiat et frigidus permaneat? Revera cum hoc meditor extimesco. Nihilominus spero magis quam timeo, libenter fateor, cum in statu religioso etiam innumera auxilia habeam, quae sexcenti alii non habent vel quibus non utuntur. Deus sit benedictus in saecula!

Sancta mors fratris Io. de Coulemont.

4. — Intra breve temporis spatium duos optimos socios amisimus. Magister Ioannes de Coulemont (1) in collegio nostro die 17 Decembris vita functus est. Nosti eum. Adulescens fuit egregius, in exsequendis officiis vere exemplar pietatis ac diligentiae. Modestia plane singularis, patientia invicta in difficultatibus et in morbis perferendis, quas plurimas ei divina Bonitas largita est, contemptio omnium rerum quas mundus magni aestimat et vera aestimatio earum, quae ad aeternitatem pertinent, caritas ardens in DEUM Sanctosque Eius, praesertim in B. Virginem et Matrem DEI MARIAM: hae virtutes inter alias multas in eo elucebant. Confidamus eum a Deo Domino tamquam maturum fructum in caelum receptum iam esse.

et Patris Reiners.

Alterum etiam amisimus fratrem, P. Reiners (2), eundemque tibi, ut opinor, notum qui missionarius Odessae (3) die 2 Ian. in Asia vel certe in finibus Asiae mortem obiit. In eam missionem mense Augusto cum aliis Patribus, magno gaudio, quod ex vultu eius cognoscebatur, profectus erat. Posteaquam ibi per breve tempus summo ardore, immo fortasse nimio, laboravit, in morbum incidit, quo diu implicatus e vita discessit. Revera vir erat ad apostolicas missiones aptissimus, qui nihil aliud nisi DEI gloriam et salutem animarum quaesivit.

Societati Iesu plures in dies missionum stationes committuntur.

5. — Societati nostrae plures in dies missionum stationes in vasto Imperio Russiaco committuntur. Aliae propiores aliae longe remotae sunt. Exeunte mense Novembri tres Patres in Siberiam profecti sunt, quo usque ad id tempus missionarii nostri nondum pervenerant, cum iam dudum in regionibus Astracana et Mosdocensi et in montibus Caucasi laborent. Irkutski, quod est Siberiae caput, fere 1200 passum millibus, ut audivi, hinc distat. — Verum iudicia Dei inscrutabilia sunt!

Tres missionarii in Siberiam iter facientes morte Superioris ad tempus impediti sunt.

Unus illorum trium Patrum, ipse Superior, in via morbo correptus Moscoviae (4) obiit, duo reliqui coacti sunt ibidem manere donec alius loco eius submitteretur. Profecto Pater ille beatus est, cui Deus occasionem dedit sibi tam insignis sacrificii paulo antequam moreretur offerendi. Sorti eius sane ma-

(1) Cfr. ep. XLIV.

(2) P. Hubertus Reyners e pago Schinnen, 1776-1812.

(3) Missio S. I. in Russia Meridionali, inter accolas Wolgae fluminis, et in Caucasia.

(4) Clemens Szpak S. I. n. 1771, ingr. 1778, ob. Moscovae 1812.

Martyrium tanta est gratia, ut eam exspectare non audeat. Sperat autem se in ipsis laboribus pro Deo susceptis moriturum esse.

gis invidendum est quam eadem dolendum. Pro Deo et pro S. Fide sanguinem effundere tanta gratia est, ut equidem eam exspectare non audeam; oro autem Deum ut saltem in ipsis laboribus, ad Eius honorem susceptis, mori mihi contingat. Unam tantum vitam habemus, quam semel tantum ponere possumus, neque sane melius neque praeclarius umquam, quam si pro Deo ponamus. Illa statio Siberiaca iussu et praesidio ipsius Principis constituta est, qui nos singulari benevolentia prosequitur.

Nuntii.

6. — Collegium nostrum Polocense paucis diebus ante ad dignitatem accademicam provectum est, quae res nobis maximae est utilitati. Deus ei benedicere dignetur!

Vides spatium chartae me deficere; immo et tempus deficit. Quod nisi ita esset memorabilia quaedam e missionibus nostris adicerem. Nunc autem neque de his neque de gratiis per intercessionem B. Francisci de Hieronymo et Martyris nostri Bobola acceptis, scribam. Magno gaudio audivimus B. Franciscum etiam in Brabantia in honore esse et multa miracula facere. Sit Deus benedictus!

Salutationes.

Has litteras, quaeso, cum Patribus qui sunt in De Krijtberg communices. Eos omnes cum reverentia saluto. Fratri uxorique eius, patribus et materteris salutem plurimam dico. Sum omni cum pietate et reverentia filius tuus beneficiorum tuorum memor.

I. Roothaan S. I.

Salutationes quas Patri Flajolet (1) profecturo perferendas dedisti, accepi. Gratissimae mihi fuerunt. Sine dubio multa

Linguae patriae obliviscitur.

menda contra sermonem patrium feci, sed cogites velim, Neerlandicum sermonem ab 8 annis iam non esse meum.

P. S. - Si apud vos liber invenitur, qui inscribitur *Manuale Ordinandorum, complectens Ritum*: 1° *Administrandi SS. Ordines;* 2° *Celebrandae Missae;* 3° *Meditationes pias, serv. ante et post missam etc.* ne praetermittas velim comparare. Prima quidem parte opus mihi non est; aliae autem si forte invenirentur et occasione data mitterentur, (data occasione, inquam, quia secus nimis constarent), usui mihi essent. Liber quartum editus est in 8° Parisiis apud Brun a. 1782.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) Ludovicus Flajolet S. I. Gallus, n. 1769, ingr. 1810, ob. Opocsae 1812. Cfr. ep. XLVIII.

XLVII. Ad Patrem Mathiam Roothaan.

1. *Patrem consolatur de morte avunculi Meilink.* — 2. *De procuranda hereditate.* — 3. *Vota pro familia fratris.* — 4. *Durante bello Divina Providentia singulariter Iesuitas protexit; ipsi multis militibus spirituali auxilio fuerunt.* — 5. *Puszam missus rhetoricam docet.* — 6. *Nuntii, salutationes.*

Pusza, d. 26 Ian. (n. s. 7 Febr.) a. 1813.

Pater carissime,

Sine mora respondet.

1. Litterae die 11 Decembris n. s. a Te datae heri mihi redditae sunt. Quarum responsum, quod video te desiderio exspectare, differre nolo, eo minus quod hodie dies Dominica est, qua post meridiem aliquid otioli habeo.

Patrem consolatur de morte avunculi Meylink.

Facile intellego quantopere mors avunculi Meilink te afflixerit, quippe qui in eo revera multum amiseris. Placet igitur Divinae Bonitati tibi interdum homines adimere, quos maxime amasti, ut solacium omne in Eo solo quaeras. Benedictum sit nomen sanctum Eius! Neque etiam ipse ad hanc mortem durus sum, memor amoris et benevolentiae, quas ab avunculo b. m. saepe expertus sum. Duo mihi solacio sunt, alterum quod in ea senectute mortuus est, in qua facile prospici poterat eum non iam diu victurum esse, alterum ac potissimum, quod pia eius vivendi ratio spem haud inanem affert eum ad vitam aeternam beatorum transiisse. Quod si ita est, ut merito opinamur, sane iniuria eum afficeremus, si eius desiderio adducti beatitudinis ei quasi invideremus. Ceterum hodie sanctum Sacrificium pro eius anima obtuli et quotidie in S. Missae oratione « Memento Domine » eius memor ero. Pro matertera, quam ex animo saluto, Deum orabo, ut viduitati eius solacio et auxilio esse dignetur.

Hereditatem Patri vel fratri procurandam committit.

2. — Quod ad « procurationem » attinet, facias velim ut tibi visum fuerit. Quodsi mei desiderii rationem habere volueris: desiderium meum tuum est. Summopere mihi placebit si fratrem procuratorem feceris. Nullam autem causam video ob quam « procurationem obsignatam » mitterem. Aperte fateor, me hanc rem parum vel potius nihil curare. Neque ullius rei indigeo. Si procedente tempore nonnunquam aliquid mittatur, id superiorum permissu in bona opera impendere potero; si autem fratri opus sit: equidem ut modo dixi et, ni fallor, septem vel octo annis ante iam scripsi, nullius rei indigeo. Nihil igitur mihi magis placebit quam te libere hac in re agere.

Vota pro familia fratris, imprimis pro parvulo Aloysio.

3. — Salutem plurimam dico fratri, eius uxori huiusque matri. Omnium in Missa quotidie memor sum, etiam parvi Aloysii. Cuius nomen mihi valde placet. Divina Bonitas eum innocentia et sanctitate verum Aloysium faciat! Non habeo quod infanti eiusve parentibus sit optabilius. De isto parvulo nihil audiveram; unde colliges superiores litteras tuas ad me non pervenisse. Has, ad quas nunc respondeo, primas ac solas accepi, postquam te de meo Sacerdotio certiorem feci.

Complures epistolae ei non adlatae sunt.

Bello saeviente singularem Dei providentiam experti sunt.

4. — Quod ad valetudinem meam pertinet, haec tam bona est ut meliorem nunquam mihi optare potuerim. Postremo dimidio anno, qui in his regionibus bello saeviente fuit valde turbatus, ego ac fratres mei singularem Dei providentiam experti sumus. Communium quidem calamitatum participes fuimus, sed Deus singulariter nos protexit. Multis e nostris contigit ut aegrotis sauciisque iuvandis in nosocomiis vitam Deo obtulerint. His quatuor mensibus amisimus 17 socios, qui omnes, tribus quattuorve exceptis, aegrotorum captivorum contactu morbo affecti et mortui sunt.

Multi patres et fratres curandis aegrotis vitam Deo obtulerunt,

multi moribundis auxilia religionis administraverunt.

Multi nostrorum plurimos ad vitam aeternam praepararunt: Gallos, Germanos, Brabantinos, Batavos. Ego etiam cum iter Puszam faciens oppidum quoddam transirem, confessionem alicuius Brabantini audivi, quem nemo alius intellexerat. Peropportune accidit quod mihi id dictum est pridie vesperi qua multo mane iter continuandum erat. Statim eum adivi sed inveni hominem sensu et voce, ut videbatur, carentem. Cum autem fecissem quod S. Ecclesia in tali re praescribit, e signo cognovi eum intellegere quod dicerem. Cum igitur actus Fidei, Spei, Charitatis recitarem, ecce inopinato oculos aperit, se ad me vertit rogantique an confiteri vellet respondit mentis suae compos: « Ita ». Audita confessione eum ad mortem praeparavi. Postero die, ut audivi, mortuus est. Non dubito, quin plurimi singulari Dei providentia hic in Russia salutem suam invenerint. Inter Patres nostros, qui in hoc pulchro labore vitam amiserunt, est Pater Flajolet [1], mihi amicissimus, per quem mihi aliquando salutem tuam dixisti.

Ipse Brabantinum aliquem, cuius sermonem nemo intellexit, ad mortem praeparavit.

Quamquam Professor nominatus fuit in Academia Polocensi, tamen propter temporum iniquitatem Puszam missus est ad docendam Rhetoricam.

5. — Medio bello missus sum Puszam, quo in villam illustrissimi cuiusdam huius regionis viri, qui eam nobis usui dedit, collegium Dunaburgense eo quod castello posito abire inde coacti eramus, translatum est. Studiis iussu Superiorum solito maturius absolutis destinatus eram ad docendas linguas Graecam et Hebraicam in Academia Polocensi, sed cum ob temporum iniquitatem hoc anno praelectiones nondum habeantur, missus sum Puszam, ubi domus probationis est, ad iuniores

(1) Cfr. ep. XLVIII.

nostros, qui novitiatum peregerunt, dicendi praecepta docendos. Laus Deo! Hoc munere nunc fungor, quo omnino occupatus sum.

6. — Plura, carissime Pater, nunc mihi scribenda non sunt. Divina Providentia te tuosque omnes ab omnibus calamitatibus tueatur. Sum, Pater carissime, omni cum pietate, filius tui amantissimus

Vota, nuntii, salutationes.

I. Roothaan, S. I.

Non possum non nuntiare hanc civitatem Puszam, quae tantum paucis millibus passuum a loco belli distet, nihil prorsus hostile unquam passam esse, quod nisi singulari praesidio Altissimi attribuere non possumus. Milites, praeter aliquot Russiacos ineunte bello, ne vidimus quidem. Deo gratias!

Deo gratiae agendae.

RR. Patribus ecclesiae « de Krijtberg » salutem et reverentiam meam quaeso dicas. Illis maximas gratias ago pro multis officiis, in te collatis, meque eorum piae memoriae commendo. Memoriam eorum et cognatorum, quibus salutem plurimam dico, conservo. Sexcentis huius epistolae sermonis vitiis facile ignosces, si memineris me novem fere annos hollandice nec locutum esse nec legisse. Sermonem patrium habere desii.

Excusat se de sexcentis mendis. Linguam patriam habere desiit.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

XLVIII. Ad Patrem Mathiam Roothaan.

1. *Quibusdam Patris querelis et suspicionibus respondet.* — 2. *Etsi non multas litteras ad suos dedit pro iis tamen preces multas Deo obtulit.* — 3. *Summatim postremam epistolam, quae Amstelodamum non pervenit, repetet. De morte avunculi.* — 4. *De procuratione bonorum.* — 5. *De iis quae sibi bello saeviente obvenerunt.* — 6. *Pusciam missus est ad docendam Rhetoricam.* — 7. *Sacrilegia a militibus commissa, ministeria a Patribus exercita.* — 8. *Nuntii.*

Puscia, 25 Iul. (5. Aug.) 1814.

Observandissime Pater.

1. — Epistolam, quam 9 Iunii ad me misisti, accepi. Cuius prior pars mira mihi visa est, quod gravius questus de silentio meo, cum per duos abhinc annos et dimidium nullam a me epistolam accepisses, suspicaris, me aut vitae meae conditione contentum non esse aut invidia quadam affectum tacuisse, quod in aliqua epistola de fratre Alberto scripsisses: « Frater tuus omne meum solatium est ». Quae suspicio certe magis etiam

Pater ne sollicitus sit de filio suo, qui licet per longum tempus non scripserit, omnino tamen contentus est.

mira videretur, nisi eam e mera pietate paterna exstitisse scirem. Iam vero ut plane tibi satisfaciam, respondeo: 1° Non tantum contentissimus sum statu meo, sed eum ipsa vita millies cariorem habeo et maximum duco thesaurum atque singularem lectissimamque gratiam Dei, cuius fretus auxilio et praesidio cum Apostolo dicere paene ausus sum: « Quid me separabit unquam ab hoc beato statu? Neque fames neque nuditas neque periculum neque persecutio, etc. ». Nullum in orbe terrarum esse opinor onus vel laborem quin, Deo iuvante, libentissime pro hoc sancto statu sustineam, immo magnum lucrum habeam; quem animi habitum mihi divinam Bonitatem usque ad extremam vitam conservaturam esse confido. Noli igitur, precor, unquam putare me mutato loco contentum esse desiisse. Quocumque ero, Iesuita ero, in eoque satis superque habebo quo maxime contentus sim. Caelesti enim gratia adiuti nihil in terra quaerimus praeter Deum Eiusque Sanctam Voluntatem, quam ubique atque omni tempore invenire possumus.

Neve suspectum eum habeat invidiae, eo quod fratrem aliquando maxime laudavit.

Quod attinet ad alteram tuam suspicionem, quomodo mihi iniucundum esse possit, « fratrem omne tuum esse solatium »? Qui haec tua verba male interpretarer, nisi vili atque turpi invidia adductus?... Quo invido ac iniquo animo equidem tibi scribere desiissem!... Deus tantam malignitatem a me avertat! Qui enim tali animo « introibo ad altare Dei »? Re quidem vera, nil umquam iucundius legi nec legere potui in litteris tuis. Id ipsum semper optavi ut frater omne tuum solatium ac senectuti tuae praesidio esset, quippe qui non ignorarem, me non plene grati piique animi sensus tibi exhibere posse ac potius in ea re habendum esse tamquam tibi mundoque mortuum. Quapropter haec vel talia verba, quae in litteris tuis legi, non tantum non ingrata mihi fuerunt, verum maxime placuerunt, quod quidem quantum memini aperte ostendi in responso, ad epistolam illam dato, et in litterulis, quas ad fratrem separatim scripsi (1). Quod fieri potuit ut haec epistola amissa sit, non magis mea culpa est quam tibi exprobrare possum, quod ex epistolis tuis nonnullae sunt amissae, quemadmodum e superioribus litteris tuis et e prioribus, die 11 Decemb. 1812 datis, perspexi. Proxima epistola mea responsum fuit ad istas litteras, quod equidem tunc quam celerrime dedi, quia brevi te id accepturum esse speraveras. In hac epistola etiam domicilium meum et quid nobis evenerit Gallis irrumpentibus narravi. Quare non duo sunt anni et dimidius sed vix unus et dimidius, ex quo scripsi, die 26 Ianuarii 1813. R. P. noster Generalis data occasione illam epistolam ad te transmisit. Quid ea factum sit, nescio, scio

Nihil enim iucundius unquam legit nec legere potuit.

Epistolae nonnullae amissae sunt.

(1) Cfr. ep. XXXV. P. S.

autem eam missam esse. Ceterum ut magnopere miratus sum, quod ineunte anno 1813 medio bello epistolam tuam accepi, ita prorsus non adimiror quod responsum meum temporibus tam turbulentis amissum est.

2. — Spero fore ut haec abunde satisfaciant omnibus querelis tuis, quandoquidem pietas et gratiarum actio, quas millies tibi debeo, non in eo consistunt quod saepe scribo sed in eo, quod te et fratrem et familiam omnem in Missis meis precibusque Deo tota mente commendo, quod nunquam omisi facere neque unquam omissurus sum. Id non minus mihi ac tibi profuturum esse puto quam litteras frequentes. Deus, qui aeque propinquus nobis est, sive una sumus sive disiuncti alius ab alio, innumeras vias habet consolandi te de peregrinatione mea et remunerandi abunde, cum in hoc tempore tum in aeternitate, pro sacrificio quod Maiestati Eius obtulisti cum permiseris, ut propter sanctum servitium Eius in tam longinquas terras proficiscerer.

Etsi non saepe scribit, tamen saepe pro suis Deum precatur.

3. — Iam summatim ea repetam, quae in superiore epistola ad vestram respondens scripsi. Postquam a te certior factus sum de morte avunculi Meylink, Missas, nescio quot, pro anima eius obtuli et quotidie ad Memento mortuorum pro eo et precatus sum et precaturus, quamdiu Deo dante Sacra faciam. Quod ad materteram nostram, viduam eius, attinet, non dubito quin divina bonitas eam consolationi et auxilio sit, ut vere christiana magnimitate ac spe firma gravissimum vulnus perferat. Ei salutem plurimam dico, gratias ago pro beneficiis mihi datis, e thesauris Domini uberes benedictiones precor.

Superiorem epistolam, quae Patri allata non est, summatim repetet.

De morte avunculi Meylink.

4. — Ad ea quae scripseras, avunculum Meylink olim procuratorem constitutum fuisse rerum mearum, respondi ac nunc iterum respondeo, me velle te omnino libere hac in re agere et statuere quemadmodum tibi visum fuerit; nolle me quidquam heredis iure postulare; consignata procuratione vel alia huiusmodi re opus non esse; hanc epistolam valere pro libellis tabulisve; me nulla re egere; quodsi tu mihi aliquid relinquere vel frater interdum aliquid mittere velitis, me illud accipere posse et Superiorum permissu in bona opera impendere; me autem plenam libertatem tibi relinquere. Satis superque, puto, de hac re dictum est.

De procuratione bonorum suorum.

5. — Paucis dicam quomodo mecum actum sit. Gallis cum 500.000 vel 700.000 militum in Russiam ingressis, iam Polociae, uti nosti, domicilium habui. Mense Aprili 1812 studia, ultimo eoque universo periculo facto, anno ante quam fieri solet absolvi, cum in Academia nostra Polocensi, nuper condita, anno insequenti linguae Graeca et Hebraica docendae mihi essent. Verum divina Providentia per Gallos aliam provinciam mihi

De iis, quae sibi bello saeviente obvenerunt.

Polociam relinquere coactus, primo per 14 dies cum sociis aliquot vagabatur, per praedia collegii,

destinavit. Cum terribilis hostium exercitus Polociae appropinquaret copiaeque Russicae continuo recederent, multi nostrorum, sacerdotes ac magistri a Superioribus in collegii praedia missi sunt. Ipse etiam cum aliis quattuor sacerdotibus eo missus sum die Dominica, 7 Iunii secundum calendarium nostrum. Tertia die, 9° nisi fallor, cum extrema Russorum praesidia Polocia proficiscerentur, ab altera Dunae fluminis ripa Galli ingressi sunt. Quid nostri in illo et in aliis collegiis passi sint, dici non potest. « Abite, hic vobis, Iesuitis, locus iam non est ».

Omnia nihilominus feliciter evenerunt. Multi quidem et aliis incommodis multis et maxime fame laboraverunt, sed nemo fame mortuus est, licet complures molestiis perferendis ac praesertim curandis captivis, qui in morbum incidissent, succubuerint. Ad nos quod attinet, qui extra collegia degebamus, per quattuordecim fere dies ab alio in aliud praedium vagati sumus, haud sine metu ne hostibus obvii essemus, donec audito eos quattuor tantum millium passuum spatio abesse, relictis finibus nostris, penitus in ipsam terram Russiacam ingressi simus.

dein in provincia Novogradensi,

Deinde complures urbes peragravimus, quae quamquam deviae et longius ab hostibus distantes in magno tumultu erant. Equidem illis turbulentis diebus cum aliis aliquibus patribus et magistris potissimum Porchovi vel prope eam urbem, quae in provincia Novogradensi sita est, moratus sum. Alii alibi versati sunt; maior enim pars eorum, qui in collegio Polocensi habitabant, emissi erant. Damna magna collegio illata, plurima incommoda cum tali exsilio coniuncta, tempus futurum, praesertim incerta fratrum nostrorum conditio vexabat nos, nescios quid illis tam qui dispersi essent quam qui Polociae remansissent accidisset.

Dei Providentia freti, qui omnibus singulariter praesidio fuit.

Omnis spes nostra reposita erat in Dei providentia eoque magis, quod ab hominibus auxilium exspectari iam non poterat. Equidem fateor maximo mihi solatio fuisse, quod cum omnes libros meos et res alias omnes Polociae reliquissem, solius divinae Providentiae curae commissus fui. Oh, quam suave erat cogitare: « Animo mihi ne fingere quidem possum, quid nobis futurum sit »! Multis etiam in rebus divinae Providentiae effectus singulares experti sumus. Primo in compluribus locis a Russis, qui Iesuitas numquam viderant inhumaniter recepti sumus, mox autem benignius, postquam Imperator Praefectis quattuor provinciarum praecepit, ut omni modo fugientibus Iesuitis succurreretur. Superiores nostri cura vere paterna consuluerunt, ut omnino tuti a periculis essemus. Omnium difficillimum fuit conveniens invenire domicilium, quia una nostra turma erat 22 sacerdotum et nonnullorum magistrorum. Finge

Imperator Praefectis provinciarum praecepit, ut fugientibus Iesuitis succurreretur.

tibi, quam laboriosum fuerit tali modo iter facere, idque cum quadraginta equis etc.

Senator quidam A. R. P. Generali villam obtulit in quam Iesuitae deverterent.

6. — Exeunte mense Augusto princeps quidam ac senator Petropolitanus, Lepuchin nomine, R. P. Generali villam prope Porchoviam obtulit, in quam deverteremus, quod nonnulli, inter quos et ego, fecerunt. Ibi contigit, ut saltem Missam quotidie celebrare potuerimus, quo solatio propter sacerdotum copiam alternis tantum diebus usi eramus. Quin etiam Augusto mense, cum deessent hostiae, ego et multi alii sacerdotes per aliquot dies eius prorsus expertes fuimus. In hac villa satis securi viximus. Interea bonis nuntiis de conditione aliquorum fratrum acceptis freti divina Providentia, quam toties experti eramus, firmam habuimus spem, reliquos etiam Dei praesidio servatum iri. Alii ibi manserunt ad Novembrem mensem, quo Polociam redire potuerunt, equidem primus alio vocatus sum ad suscipiendum officii munus, de quo neque ego neque mortalis ullus neque ipsi Superiores, unquam cogitavimus, et quod etiam nunc exsequor. Mense Septembri, cum maxime Galli in Moscoviam ingressi essent, iussus sum proficisci Opociam, quae urbis Pleikovensis provinciae est, ubi cum Patre Provinciali triginta fere e nostris, inter quos aliqui e collegio Polocensi, degebant. Inde a P. Provinciali missus sum Puszam, ut rhetoricam docerem iuniores scholasticos, qui peracto novitiatus tempore non potuerant mitti Orsiam, ubi usque ad id tempus schola rhetoricae habita erat. Pusciae in praesidio nobilis cuiusdam huius regionis viri novitiatus, qui antea Dunaburgi fuit, constitutus est. Anno enim et sex mensibus ante quam Galli venerunt a Russis posito castello, nostri coacti erant Dunaburgo abire. Id tum nobis magnum damnum esse visum est, licet Imperator, nobis vere benevolus, pretium quo collegium taxatum esset solverit, sed Dunaburgo anno cum dimidio post a Gallis capto et collegio atrociter diruto apparuit, gaudendum potius fuisse beneficio divinae Providentiae. Puscia item, quae prope Dunaburgum sita est, singularem Dei Providentiam experta est. Hostes per plus tres menses septem tantum octove millibus passuum, immo saepe paucioribus, a nobis aberant, quin aliquae Russorum copiae regionem defenderent, et tamen ne ullus quidem eorum visus est, quamquam passim praedatum vagabantur. Cum exeunte mense Septembri huc venirem, plane miratus sum longe lateque militibus grassantibus hoc uno loco omnia tranquilla esse; homines eo tempore, quo hostis vicinia occupasset, securos serere et metere, quasi nullum gereretur bellum. Non tamen sine ulla prorsus sollicitudine fuimus, immo plus semel parati abire, quod ceteroquin singulari sane Providentia semper distulimus. Tam parum tutae res erant, cum

Profectus est Opoczam, dein Puszam.

Noviciatus, qui Dunaburgi fuit, Puszae constitutus est.

Ibi vitam tam securam et tranquillam egerunt ac si nusquam bellum esset.

huc proficiscerer, ut iussus fuerim redire Opociam, si iter faciens periculum aliquod animadvertissem. Sed nullis difficultatibus laboravimus, nisi quod alicubi magnae copiae voluntariae, octo millia militum, Polociam contendentes iter nostrum paullum retardaverunt. Nihilominus triginta millium passuum iter duobus diebus nocteque una fecimus. Tribunus quidam militum illorum voluntariorum digitis nobis numeravit dies, post quas, ut sperare se ait, copiae Gallicae ex urbe Polocia eicerentur. Pater Rector valde sollicitus fuit cum a nobis advenientibus audiret, Gallos Moscoviae esse. Revera iam incedebant nobisque appropinquabant, cum insperato iussi sunt reverti; Russi enim eo ipso die vi atque armis Polocia capta Gallos fuderant fugerantque. Brevi post res in melius verterunt.

Exercitus Gallorum fusi fugatique sunt.

Collegia et ecclesiae Societatis non sunt expilatae.

7. — Collegia nostra, quae omnia praeter Puszanum et Petropolitanum in hostium potestate fuerunt, etsi aliquantum detrimenti ceperunt, praesertim in praediis, ubi proeliis atrocibus omnia disturbata sunt, tamen mirum quantum divina Providentia protecti sunt. Ne ulla quidem ecclesia nostra expilata est neque in horreum commutata, quod Galli eorumque socii in multis locis fecerunt. Polociae in ecclesia PP. Dominicanorum Sanctissimum e ciborio sacrilege proiecerunt et prope urbem vestibus sacerdotalibus ad se equosque tegendos ludibrio usi sunt. Ne ullus quidem nostrorum ab hoste vexatus est, ut multis aliis hominibus tam saecularibus quam clericis accidit. Ceterum, ut confidimus, exsilium nostrum multis saluti fuit. Patres in multis locis, etiam in collegiis, captivos et aegrotos docuerunt mortique praeparaverunt, multis aliis Sacramenta ministraverunt, quorum participes per complures annos non fuerant, quo factum est, ut Dei gratia adducti ibi vitam invenerint quo mortem allaturi venissent. Incredibile est quam plena omnia essent miseris captivis variarum nationum. Multos vidi et allocutus sum Batavos, Contigit mihi ut Opociae, per quam iter Puszam feci, vespere ante quam pergerem confessionem audiverim alicuius Brabantini, quem nullus Pater intelligere potuerat, quique eadem nocte mortuus est. Non pauci Patres sacris illis ministeriis explendis succubuerunt, e quibus P. Flajolet [1], mihi amicissimus et omnium itinerum illorum socius. Is quoque Povilowa Opociam vocatus ad captivos adiuvandos, tanto animarum salvandarum studio hoc munus susceperat, ut intra duas vel tres hebdomadas in morbum incideret, qui ei mortem attulit. Beatus qui tali labore pro fratribus vitam obtulerit! Dignus non fui, qui tam felicis sortis particeps fierem. Per illum Patrem anno 1810 Amstelodamo in Russiam profec-

Alibi milites atrocia sacrilegia commiserunt.

Patres plurimos aegrotos et captivos instituerunt vel ad mortem praeparaverunt.

P. Flajolet et alii curandis aegrotis et nimiis ministeriis succubuerunt.

(1) Cfr. ep. XLVI.

turum, cum tibi obvius veniret, mihi salutem dixisti. Multa etiam alia habeo quae scribam sed tempus iam non permittit. Haec igitur sufficiant. Timeo equidem ne iam legendis his litteris defatigatus sis.

8. — Quam aperte apparet adoranda Dei Providentia in iis, quae per hos duos annos facta sunt! Quis haec futura esse unquam putaverit! Sit Nomen Domini benedictum! Quod Sanctitas Sua Romam reversus est, vere triumphus Religionis habetur, etiam propter miracula, quae benedictio eius compluribus in locis effecit, de quibus R. P. noster Generalis certos nuntios accepit. Anconae monialis quaedam, quae multos iam annos [1]. . . . Nuntii quidam.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

XLIX. AD ALBERTUM FRATREM.

1. *Sollicitus fuit de sorte fratris.* — 2. *Vota, salutationes.*

Puscia, 26 Iul. (6 Aug.) 1814.

Carissime frater.

1. — Paucis saltem verbis tibi gratulari volo. Haud parum sollicitus pro te fui, cum nescirem an Galli etiam patres familias evocassent. Tot enim vidi captivos Batavos animam agentes, aliquos ex ipso Amstelodamo! Tot hic perierunt! Galli, cum non procul a Polocia fugam caperent, manum Batavorum, duo millia fuisse puto, iusserunt alterum fugientium agminis latus tegere. Ne unum quidem ex eis salvum evasisse audivi. Profecto timebam ne tu quoque alicubi in numero miserorum illorum militum esses. Confidebam quidem divinae Providentiae, non vero sine metu. Itaque Deo sint gratiae! Cum per urbem N... transirem, Gallus quidam pater inter captivos Gallos magistrum suum agnovit. Mi Deus!, mecum tum reputavi, forsitan accidat, ut in fratrem meum incidam! Nunc una Deo gratias agimus; uterque nostrum hic mortem obire potuerat, meliores non fuimus tot aliis hominibus! Sollicitus fuit ne frater etiam coactus fuisset cum aliis Batavis militare et in Russiam contendere.

---

(1) Extremae huius epistolae lineae vetustate deletae sunt.

Vota, salutationes.

2. — In sancto Sacrificio quotidie tui tuaeque uxoris memor sum. Huic velim verbis meis salutem dicas. Etiam pro parvo Aloysio (quam pulchrum nomen!) quotidie oro; osculare eum a me. Pater nuntiavit etiam alterum infantem tibi natum esse, sed nomen eius omisit; immo nescio filiusne sit an filia; et hunc pro me osculeris velim.

Non pro eo a Deo petit divitias, petit Eius gratiam.

Deus tibi benedicat. Id singulis diebus tibi et exopto et a Deo precor; nequaquam necessarium est, te magnis fortunis frui. Quandoquidem saepe maxime periculosae sunt ideoque non oro ut tibi tribuantur. Dei autem benedictione semper opus est, pro tempore ac multo magis pro aeternitate, ut contingat tibi liberos educare in innocentia et in timore Dei, quod profecto haud levissimum est officiorum tuorum. Valeas, frater carissime. Tota mente te amplector, pietate et observantia vere fraterna

servus ac frater tuus

I. Roothaan S. I.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

L. Ad Patrem Mathiam Roothaan.

1. *Propter multiplices occupationes litteras non scripsit; bene valet et summe contentus est.* — 2. *Societas Iesu, quamvis Petropoli expulsa, beneficiorum imperatoris grato animo memor erit; persecutionibus confirmatur.* — 3. *Preces et vota pro filiis fratris.* — 4. *Salutationes.*

Orsa, 24 Aug. (5 Sept.) 1816.

Carissime Pater.

Propter multiplices occupationes per longum tempus non scripsit. — Pater autem ne sollicitus sit; bene valet et summe contentus est.

1. — Cum a R.mo P. Generali audiverim, te de mea valetudine sollicitum esse, non possum praetermittere paucis saltem verbis animum tuum metu liberare et optimam valetudinem tibi confirmare. Verum quidem est, te his duobus annis nullas a me litteras accepisse, sed assiduis laboribus, in quibus a Deo vocatus ex officio occupor, mihi duo anni vix mensibus duobus longiores esse videntur. Ex quo facile intellegere potes, quare e tanto tempore non scripserim et collegere, me sane egregie contentum esse, cum tempus tam longum mihi tam breve esse videatur. Ita revera est et quo tristiora tempora nostra sunt

eo maiore gaudio perfundor de vitae ratione, quam elegi et suscepi, vel potius, quam Deus, cuius misericordia infinita est, mihi suscipiendam dedit.

Societas Petropoli res adversas experta est,

2. — Non dubito quin iam noveris quid Societati nostrae Petropoli acciderit (1). Divinam Providentiam adoramus, quid futurum sit exspectamus, confisi Ei qui nostrum et auxilium est et solacium. Ceterum certum est, Societatem, quodcumque fiet, ubicumque versabitur, cum Russiae tum eius optimo monarchae plurimum debere ac debituram semper esse. Profecto calamitas, quae Societati Petropoli accidit, neque prima est neque erit ultima, si vere Societas Iesu esse velit. Longissime absumus a malis quae Patres nostri perpessi sunt, quae ipse Princeps et Dux noster pertulit. Dominus dedit Dominus abstulit, sit Nomen sanctum Eius benedictum! Sic equidem divina gratia adiuvante affectus sum, sic fratres mei. Quidquid de Societate fiet, ne unquam in mentem tibi venerit, carissime Pater, poenitere me quod Deo vocanti obsecutus sim. Tot enim divina beneficia mihi in Societate obvenerunt ut, etiamsi hodie omnino dissiparetur et deleretur, tamen amplissimam mercedem me iam percepisse iudicarem eorum, quae propter hanc sanctam vocationem fecerim vel passus sim. Quod tamen speramus fore ut minime fiat.

memoriam beneficiorum ab Imperatore in se collatorum usque conservabit.

Ipse persecutionibus confirmatur.

Fratri eiusque uxori precatur, ut filios bene instituant.

3. — Fratri eiusque uxori salutem plurimam dico et eorum carissimos liberos mente amplector, praesertim parvum Aloysium, qui utique iam aliquo modo ratione uti incipiet. Faxit Deus, ut primus usus, quem mens faciat, exemplo sancti Patroni, cuius nomen gerit, actus sit caritatis erga Deum, ut primae voces sint Iesus et Maria, ut frater liberos ita educet, ut eos contra mundi perniciem munierit. Ceterum, quamquam sane fratris officium est, curam impendere ut filii bene educentur, id tamen multo magis opus Dei est. Deus omnibus nobis benedicat pro tempore et pro aeternitate! Aeterna vita primum locum obtinet et primo loco est curanda.

Preces.

4. — Quamquam non saepe scribo, tamen quotidie et ad altare adstans et in aliis precibus familiae memor sum, praecipue vero Patris, fratris eiusque uxoris Ioannae Mariae, utriusque liberorum Aloysii et Theodori et aliorum si forte tertius vel quartus ei natus iam est. Unum id est atque praecipuum officium, quod equidem fratri praestare possum. Etsi non dignus sum cuius preces exaudiantur, tamen quod a Deo pro vobis peto aequum et gratum est Ei, qui necessitates vestras praesentes sibi habet et, ut est Omnipotens, solus curare potest.

(1) Alexander I variis instructis Societatis calumniis decreverat, ut Iesuitae Moscovia et Petropoli expellerentur. Causa fuit quorumdam nobilium ad catholicam fidem conversio.

Salutationes.

Salutem plurimam dico toti familiae. Cum omni reverentia et pietate, Pater carissime, sum filius tuus amantissimus et beneficiorum memor

I. ROOTHAAN S. I.

Hoc anno Orscae domicilium habebit.

Orscae hoc anno domicilium mihi erit, nisi qua mutatio fiat. Oppidum est, itinere dierum aliquot ultra Polociam situm, ubi aliquos iuvenes auditores secundo anno Rhetoricam docebo. Nullam a te epistolam accepi a duobus annis cum me certiorem faceres meas litteras ad te pervenisse. Nihil tunc scripsisti, ad quod respondendum erat. Mementote mei in orationibus vestris, ut semper coniuncti simus in Cordibus sanctissimis IESU et MARIAE.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

EPISTOLAE A IOANNE ROOTHAAN SCRIPTAE ANNIS 1819-1823, QUIBUS ORSZAE ET BRIGAE SCHOLASTICOS S. I. RHETORICAM DOCUIT ET POPULUM SACRIS MISSIONIBUS INSTITUIT.

LI. Ad Patrem et Fratrem.

1. *Deo gratias agit pro beneficiis, suis sibique praestitis.* — 2. *Sollemnem professionem fecit.* — 3. *Valetudinis causa docendi munere levatus operarii ministeria exercet.* — 4. *Missiones sacrae habitae sunt; salutationes.*

Orsza, 17 Febr. (1 Mart.) 1819.

Colendissime pater, carissime frater.

Litteris a fratre acceptis prompte respondet.

1. — Modo animo proposueram vobis hisce diebus litteras aliquas scribere, cum fratris epistolam 23 Ian. datam accepi. Ex qua cum percipiam, silentium meum causam cuiusdam moeroris et impatientiae esse, eo promptius propositum nunc exsequor. Pater his postremis litteris nihil quidem adscripsit, sed ex eo quod frater eius valetudinis mentionem non fecit, concludo eum, quamvis provecta sit aetate, bene valere. Deo gratias! Neque frater quemquam e vita excessisse nuntiavit. Sequitur ut familia nostra postquam postremum scripserim integra servata sit. Ideo his etiam de rebus gratias agamus Altissimo, quem quotidie precor pro omnibus, quorum debitor sum, ut eos suo sancto praesidio conservare dignetur. Quod ad me attinet, et Patri et toti familiae et omnibus, qui mei memores sunt persuasum sit velim, me maxime contentum esse neque Deo adiuvante, quidquid futurum sit, unquam fore, ut me vocationis meae poeniteat. Profecto fieri potest, ut nobis aliquid patiendum accidat, sed in Dei manibus sumus. Brevis vita hominis est; beatus ille, qui eam bene peragit, beatissimus vero, cui aliquid pro Salvatore, qui tantum pro nobis perspessus est, tolerare contingit.

Gratiae Deo agendae pro acceptis beneficiis.

Quidquid calamitatis Societati imminet, statu suo maxime contentus est.

Die 2° Febr. sollemnem votorum Professionem fecit.

2. — More Societatis die 2° Febr. sollemnem votorum Professionem feci [1], qua arctius etiam quam antea Deo coniunctus et in Corpus Societatis admissus sum. Cum enim proximo demum mense Novembri tricesimum tertium aetatis annum peregerim, fieri non potuit, ut id mihi prius contigerit.

Valetudinis causa graviore docendi munere levatus, iter fecit ut vires reficeret.

3. — Quod ad valetudinem attinet, semper bene valui, nisi quod anno superiore aliquam virium defectionem sensi, propter quam, postquam sex annos iuniores nostros Rhetoricam docui, prudenti moderatorum iudicio, graviore hoc munere levatus officium minoris laboris suscepi. Interim ut vires reficerem

---

(1) In manus R. P. Provincialis Stanislai Swietochowski; n. Dunaburgi 1759, ingr. 1772, ob. Starawies 1831. — Quod attinet ad 33 aetatis annum, videtur in provincia A. R. consuetudo fuisse ut vota sollemnia ante peractum illum annum non nuncuparentur.

per partem provinciae iter feci [1], quo peracto — Deo sint grates — sanitate prorsus restituta integer Orszam redire potui, ubi per vices diebus Dominicis et festis sermones habeo, carcere detentos visito, alia huiusmodi facio. Carcer Orszanus amplam bonorum operum occasionem offert. Omnes, qui in diversis locis reipublicae causa damnati sunt, ex hac urbe, quae quasi media totius regionis est, in Siberiam aliove mittuntur. Hanc igitur omnes transeunt, hic omnes per aliquot dies vel saltem per unam noctem manent. Inter eos sunt Catholici, qui a nobis invisuntur, ut sancta Sacramenta Confessionis et Communionis suscipiant, quod plurimum libenter faciunt, cum homo in rebus perditis magis quam in secundis de Deo cogitare soleat. Multi eorum per septem, octo, decem annos non iam peccata confessi erant. Uber profecto messis spiritualis! Existimo nos uno anno plus ducentas confessiones huiusmodi hominum in Orszano carcere audivisse.

Iam sanitate restituta O r s z a e operarium agit.

In carcere detentos visitat.

4. — Compluribus in locis Patres Ordinis Sancti Dominici et nonnulli Patres nostri missiones sacras habuerunt mira cum fructuum ubertate: publicarum reconciliationum, restitutionum, multarum atque insignium conversionum. Aliquibus in locis viginti fere millia hominum sanctam Communionem acceperunt. Ecce nova, quae paucis verbis referre potui. Ceterum coniuncti simus in SS. Cordibus Iesu et Mariae. Cura ut valeas, colendissime Pater, vale, carissime frater! Salutem plurimam dico fratris uxori; quattuor eorum liberos, Aloysium, Theodorum, Agnetem, Ioannem laetus amplector. Gratia divina innocentiam eorum conservet. Item cum reverentia salutem dico materterae Meilinck, reliquae familiae, bonis amicis. Saluto quoque D.um D.amque Mosch, D.um Schaap, omnes qui mei memores sunt. RR. Patrum eccl. de Krijtberg nolite oblivisci. Debita cum aestimatione et caritate beneficiorum memor, Pater colendissime, carissime frater, sum amantissimus tui filius

Sacrae missiones a Patribus O. Pr. et S. I. habitae sunt mira fructuum ubertate.

Salutationes.

I. Roothaan S. I.

Ignoscite multis mendis, quae certo feci. Cum numquam Hollandice scribam, res mihi difficillima est; vocabulario Pitisci carere non possum.

Ignoscant mendis!...

Si iterum pater vel frater ad me litteras datis, addatis, quaeso, inscriptionem vestram, ut respondere possim, quin A. R. P. Generali molestus sim. Ceterum res non urget [2].

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) Per mensem in oppido Mscislav « excurrentis » officio functus est Aug. Sept. 1808.

(2) Pater relicta vetere domo deversus erat apud filium, qui et ipse migraverat in Keizersgracht. Neuter sede mutata nuntiasse videtur ubi habitaret.

LII. Ad Patrem et Fratrem.

1. *Societas Iesu e Russia expulsa est. Gaudet quod pro Dei nomine passus est, dolet ingenti damno animarum.* — 2. *Catholicorum tristitia.* — 3. *Omnes Iesuitae Societatis fidem servaverunt.* — 4. *Narratio longae peregrinationis.* — 5. *De Collegio Brigensi, mirabili Dei Providentia Societati restituto.* — 6. *Linguis Gallicae et Germanicae addiscendis opera danda est, ut ministeria bene exercere valeat.* — 7. *Vota pro carissimo Patre.* — 8. *Pia hortatio ad fratrem.*

Briga, 25 Aug. 1820.

Pater honoratissime et dilecte frater.

E Russia expulsi sunt.

1. — Ad duas epistolas vestras superiore mense Octobri acceptas nunc ex Helvetia respondeo. Non dubito quin ingens rerum nostrarum mutatio iamdudum tibi nota sit. Quae rationes Imperatorem Russorum vel potius Ministrum eius moverint, foliis publicis Europae universae palam factum est, ideoque absque dubio etiam inter vos. Deo gratias! Ne ab omnibus spoliemur atque in exsilium eiciamur tanquam fures et latrones scelerum convicti, Deus praecaveat! At pati tanquam Iesuitae, neque propter aliam veram causam, quam quod Iesuitae sumus, eum existimo honorem tantum, quantum mereri nunquam potui. Itaque iterum: millies Deo gratias! Mirabilis est sancta Dei providentia. Cum Societas Iesu ex omnibus terris expelleretur, Russiam elegit, ut parvum eius manipulum conservaret, hodie cum vixdum restituta in aliis regionibus refugium habet, ex Russia eam proficisci iubet. Profecto, si ex hominum opinione rem consideramus, gravis calamitas dicenda est, qua non commoveri nemo potest. Omnia amittere, quae per duo amplius saecula, in templorum ornamentis, in bibliothecis, in physicis instrumentis, in rebus domesticis, multis impensis magnoque labore collecta erant; subito collapsa videre (quod multo etiam tristius est) tot bona instituta, scholas, sodalitates, quibus homines ad aeternam salutem consequendam adiuti erant; tot hominum millia deserere, quibus Societas vires addebat, ut bene viverent ac pie morerentur, tot iuvenes, qui in Dei timore educabantur, tot pauperes, qui suum apud nos iuvamen inveniebant, ea omnia, quae cum caelesti plurimorum beatitudine arctissime coniuncta sunt, quoties meae menti occurrunt, quod quotidie fit, magna tristitia me afficiunt, cuius aliud solatium non invenio nisi: *Pater, fiat voluntas tua! tu iustus es, Domine, et sanctae viae tuae!*

Deo gratiae agendae, quod digni habiti sunt pro nomine Eius pati.

Mirabile divinae providentiae consilium.

Vehementer dolet ingenti damno animarum.

Catholicorum tristitia.

2. — Catholici, quos relinquere coacti sumus, ipsi quoque calamitatem hanc acrius persenserunt. Nec cuiquam credibile est, quot lacrimas eiectio nostra eis excusserit. Quo tempore proclamato imperatoris decreto domi retenti sumus, nullis publice confessionibus exceptis, nullis contionibus habitis, animi nostri acerbo dolore cruciabantur gemitu et lacrimis amicorum, poenitentium, aliorum. Cum proficisceremur vix transire potuimus prae multitudine eorum, qui ad pedes nostros provolvebantur, ultimum nos amplectabantur et benedictionem implorabant. Id unum, quod tot homines imprimis dilectos iuvenes sibi reliquimus, grave mihi accidit atque etiam aliquot lacrimas expressit. Cetera nihili feci. Deus enim ubique adest et IESUITAE universus mundus patria seu potius exsilium est.

Omnes Iesuitae etiam iuniores, etsi variis modis temptati, fidem Societatis palam confessi sunt.

3. — Cum ut ex aliis ita etiam e me quaereretur, an mutata Societatis fide in Russia manere vellem, equidem haud multum cunctatus, sic respondi: « E longinquo in Russiam veni ob id solum ut Iesuita fierem, nunc factus hanc professionem, quam tamquam maximum thesaurum peregre quaesivi, levis deseram?... » Putaverant multos, praesertim ex illis qui in ipsa terra nati essent, Societatem potius deserturos esse quam patriam, sed apparuit hanc spem eos fefellisse. Deo gratias. Hi quoque iuvenes, qui a parentibus et consanguineis variis argumentis temptarentur, mirabili constantia id elegerunt quod honori fuit Societati, licet ipsi nos eis exsilii acerbitates, iacturam linguae patriae, incommoda, quibus in alienis regionibus obnoxii futuri essent, quam vividissime depinxerimus.

Orsza profectus d. 23 Apr. 1820 per Poloniam, Austriam, Italiam, iter fecit Brigam in urbem Helvetiae.

4. — Die 23 Aprilis cum aliis multis Orsza profectus per tres menses iter feci, donec 23 Iulii in hunc locum advenerim. Quo an mansurus sim nescio, cum nondum a superioribus meis sit constitutum. Mala, quae nobis illata sint, primo domi dein in itinere, non narrabo. Neque enim adeo gravia fuerunt et Deus ea, qualiacumque, tamquam sacrificium accipere dignetur pro felicitate temporali et sempiterna omnium qui eorum auctores fuerunt.

Benevoli Imperatoris mandata executioni non sunt data.

Augustus omnium Russorum imperator mandatum quidem dederat, ut Iesuitae singuli liberaliter tractarentur, sed haec boni Monarchae consilia haud ubique eadem fidelitate executioni data sunt... Angustum epistolae spatium non sinit me omnes, quas in tam longo itinere viderim res bonas, malas, pulchras describere, sed praecipua vobis indicabo loca, per quae iter feci (1). Ea vobis ni fallor et audire gratum

(1) Reticuit, qua fuit humilitate, horrenda mortis pericula, quae traiciendo brachio fluminis Pripet, liquefacta glacie aucto et procellis turgido, cum 14 fratribus scholasticis in parvo lintro, gubernaculo et velis carente, subire coactus est. Item omisit narrare, se non paucos fratres, qui specie boni decepti redire iamiam vellent, in fide confirmasse.

erit et si placet in tabulis geographicis lustrare poteritis : *Orsza, Mohilew, Rohaczen, Mazyr, Zytomir, Ostrog, Radziwillow.* Ibi fines sunt Imperii Russiaci, quos transmisi 30 Maii, ipsis 16 annis post quam Amstelodamum reliqui. Tum per *Brody* et *Leopolim Vindebonam,* in Austriae Caput venimus. Inde profecti sumus in *Italiam,* via *Klagenfurt, Haine, Mestre,* quo *Venetias* fleximus celebrem hanc civitatem visuri. Dein per *Mestre* et *Paduam,* ivimus *Ferrariam,* quo primum collegium Societatis, aliquot annis ante ei restitutum, intravimus, ubi a fratribus nostris Italicis eximia caritate recepti sumus. Diu ibi manere non potuimus, quia completum collegium iam erat atque alii etiam ex Russia exsules in dies exspectabantur. Ferraria nobis eundum fuit *Bononiam,* in qua urbe fere hebdomadem mansi, donec ulterius in Helvetiam procedere iussus sum. *Bononia* proinde profectus via *Mutinae, Parmae, Placentiae, Mediolani* tandem *Alpium* itinere *Brigam* in Helvetia adveni. Quod quidem oppidum non in omnibus tabulis invenitur, sed plerumque inveniuntur *Sion* et *Friburgum* a quibus haud multum distamus.

5. — Hic, Brigae, satis magnum habemus collegium. Caritas et benevolentia qua a fratribus nostris excepti sumus, brevi effecerunt, ut itineris molestias oblivisceremur. Collegium pauper quidem est, inopia tamen non premitur. Deo gratias! Mirabilis est sancta eius Providentia. Galli imperatoris Bonapartis armis vetus Iesuitarum collegium, quod soluta Societate incendio magnum damnum acceperat, restaurarunt et quasi in castellum commutarunt. Quod quidem opus vix confecerant, cum ipsi loco cedere debuerunt. Brevi post collegium antiquis possessoribus restitutum est. Sic divina Providentia infestissimis inimicis nostris usa est, ut maxima nobis beneficia tribueret.

Mirabilis Dei Providentia Societati Ieti Iesu collegium, ei ereptum, ab ipsis inimicis instauratum restituit.

In hac valle, ut in tota fere Helvetia, inter montes altissimos habitamus, ubi ut ita dicam, aestate et hieme una simul fruimur. In vallibus et in inferioribus clivis aer calore ardet et omnis generis fructus vel ipsae vineae inveniuntur, at in summis montibus continuam vides glaciemque nivemque, quo fit ut perpetuo hiemen quoque ante oculos habeas.

Vallis Brigensis descriptio.

6. — Incommodum maximum mihi est, quod quasi loquela destitutus sum! Nulla lingua tam bene assueveram loqui, imprimis publice, quam Polonica. Nunc Gallicae et Germanicae opera danda est. Confessiones iam saepe audio sed in contionibus non tam cito procedam. Deo autem iuvante neque hic neque ubicumque ex officio degam, ut spero, labores deerunt.

Linguis Gallicae et Germanicae addiscendis operam dat.

Iam vero hora monere videtur ut epistolae huius finem faciam. Intellexisti profecto, mihi nunc aliquanto plus quam antea liberi temporis suppetere. Non prius autem eam absolvam,

quam addidero quod primum dicendum fuisset et a quo incepissem, nisi vestrae ignoti cupidini aliquo modo satisfacere voluissem.

Gaudet firma carissimi Patris valetudine.

7. — Dilecte Pater, perquam iucundum mihi fuit ex epistola tua cognovisse te aetate adeo provecta usque bene valere. Revera ipsae litterae id illustraverunt, quippe quae clarissime scriptae essent manu tam firma, quam qua ante hos 20 annos scribere soleres. Deo gratias! Precor tota mente ut Deus tibi ita benedicat, ut per multos etiam annos firma valetudine utaris et in eius gratia perpetuo conserveris. Profecto singularis Dei favor est. Longa vita, si accedit valetudo bona, summum Dei donum est, modo ad aeternam animae salutem convertatur. Ibi, in vitae sempiternae habitaculo, post breve mortalis vitae spatium, peractum quo modo et quo loco Deo placuerit, nos coniunctum iri speramus. Id quotidie, etiam in SS. Missae Sacrificio, a Deo precor, qua sola ratione grati animi et pietatis officium praestare possum. Deus det nobis gratiam suam, ut sancta Eius in nobis voluntas fiat in tempore atque in aeternitate.

Vota precesque.

Fratri eiusque uxori gratulatur de beneficiis a Deo acceptis.

8. — Iam ad fratrem me converto. Summopere gavisus sum, carissime frater, legens in epistola tua bene tecum agi. Dei benedictio semper tecum sit. Familiae tuae incrementum, in nuptiis adeo benedictis, tibi ex animo gratulor. Deo gratias! Ceteroquin spero te in rebus secundis semper aeternas quoque, quae multo maioris sint momenti, spectaturum esse et, ubi Deo placuerit, neque recusaturum adversas quoque ex Eius manu accipere, sine quibus difficillimum est salvum quempiam fieri. Novi equidem, condicionem tuam suas difficultates habere. Haec non ideo scripsi, dilecte frater, quod de christianis virtutibus tuis vel minime dubitem, sed fraternam caritatem benevolentiamque ostendere volui, quam melioribus votis declarare nequeo.

Vota precesque.

Bene filios instituant,

Meis verbis salutem dicas uxori tuae, quam una tecum quotidie divinae bonitati commendo. Osculare etiam pro me dilectos liberos tuos eisque qui iam intellegunt, dicas quaeso, eos plurimum salutari a patruo, quem fortasse in hoc mundo non visuri sint, sed qui eos eorumque innocentiam quotidie in oratione Deo commendat. O parentes dilecti! En maximum thesaurum vestrum, innocentiam filiorum vestrorum; ea vobis imprimis commissa est. Haec scribo festo S. Ludovici die, regis Franciae, cui puero Sancta Mater Blanca dicere solebat: « O fili mi! Testis est mihi Deus, quantopere te diligam. Verum, si tantum tibi unquam malum accideret, ut Deum mortali peccato offenderes, mallem te hic moribundum ad pedes meos procumbentem videre ». Quae verba S. Ludovicus ipse sibi tam alte

exemplo B. Blancae, matris S. Ludovici regis Gallorum.

in animo impressit ut gratiam sanctificantem pluris aestimaverit quam regnum, cuius heres, et res omnes, cuius dominus erat. O utinam tu quoque filiorum innocentia tam beatus sis, hac nostra aetate, qua ubique seductio atque corruptio prorumpit.

Orantne quotidie ad SS. Iesu et Mariae Corda? Spero fore ut pia huius cultus exercitia, Deo tantopere accepta facere discant. Vale, dilecte frater, cum universa familia tua. Salutationes meas dare velis cognatis et amicis qui de me requisierint. Nolim autem te hanc epistolam cum omnibus communicare neque ubi degam divulgare, nisi quibus confidere possis. Illis enim temporibus vivimus, quibus vel ipsum Iesuitae nomen falsis criminibus congestis invisum redditum est. Gratias Deo pro cuius sancto nomine patimur. Ille inimicis nostris propitius esto iisque ignoscat mala, quibus nos afficiunt et quae nobis precantur. Utinam eos Suo amore perfundat pro odio quo nos persequuntur, et bona eis tribuat pro malis, quae in nos conferunt. Vale, Pater, vale frater, omnes consanguinei valete!

Commendat eis iterum cultum SS. Cordium Iesu et Mariae.

Epistola cum fidis amicis pro prudentia fratris communicari potest.

Salutationes.

Vester beneficiorum semper memor filius et amantissimus frater

I. Roothaan S. I.

P. S. - Si mihi scribere velis, en inscriptio: D. Roothaan *Brigam Collegium* — in Valesia — Helvetia.

Etiamsi hinc profectus fuero litterae huc ad me mittantur, dummodo vectigal postale solutum sit. Quodsi non fit manebunt in Gallia. Hisce includo epistolium, quod amico cuidam in Russia degenti scripsi. Frater profecto novit, per quem vel qua ratione quam primum Rigam, dein ad locum suum mitti possit. Primo inspicias, si vis, ut videas qualis sit lingua Polonica! — Obsignatam mittas quaeso. Responsum, si datur, a te exspecto. Salutem et reverentiam dico PP. eccl. De Krjtberg.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

LIII. Ad P. Mauritium Nizard, St. Acheul.

1. *Gaudet potius quam dolet quod non in Galliam missus est, cum dubitet an ibi utilem operam praebuisset.* — 2. *De officiis quae ei commissa sunt.*

Brieg en Vallais, le 4 Févr. 1821.

Mon Révérend et très cher Père (1).

P. C.

Ad litteras acceptas respondet.

1. — « J'ai différé de vous réspondre parce que j'attendais toujours l'occasion des Pères députés à la congrégation générale retournant en France pour vous passer ma dette. Dans votre lettre vous vous êtes laissé emporter un peu (excusez ce terme) à votre amitié pour moi, et c'est ainsi que vous me dites bien des choses que je ne comprend pas trop. Ce que vous me mandez sur le bel ordre qui règne dans vos maisons en France, est sans doute une bien douce consolation. Nous voilà donc à une époque de renaissance qui donne tout à espérer. Puisse le Seigneur achever son ouvrage! J'étais bien content aussi d'être envoyé en France (2), puisque c'était la disposition des Supérieurs, cependant si j'aurais pu y faire grand chose, c'est une autre question. Cette belle France est si délicate, et ces bons Français ont les oreilles si fines (Je voudrais pouvoir exprimer les épithètes que Ciceron donne aux oreilles des Athéniens *Aures teretes ac religiosae,* mais je ne trouve pas le terme, voilà ma pauvreté). J'aurais donc dû mettre d'abord bien du temps pour apprendre le français, et encore n'aurais-je peut-être jamais réussi.

Gaudet Soc. spiritu in Gallia reviviscente.

Non autem dolet quod non in Galliam missus est, cum linguae non satis peritus sit.

2. — Ce n'est pas que je sache mieux l'allemand, au contraire, je le sais bien moins encore que le français; mais enfin, les Allemands ne sont pas si délicats, et surtout ici en Vallais, nos bonnes gens sont fort simples. Jugez-en. La première fois que j'ai prêché ici, au jour du nouvel an, quelques uns ont cru que j'étais Saxon. Quand quelqu'un fait des solécismes et des barbarismes, on nomme cela du *Hochdeutsch.* Il n'en est pas moins vrai, que de toutes les pertes que j'ai faites à notre renvoi de Russie, celle de la langue est pour moi comme pour beaucoup

Germanice non melius loquitur, sed populus simplex non offenditur eius solicismis.

(1) Mauritius Vedastus Nizard, Atrebate n. 1790, ingr. Dunaburgi 1810; unus e discipulis P. Roothaan. A. 1821 in collegio St. Acheul in Gallia theologiae studebat; — postea missus est in Galiciam, unde 1848 reversus ob. Andegavi 1865.

(2) Superiores trium provinciarum, Galiciae, Galliae, Helvetiae ab A. R. P. Generali petiverant ut P. Roothaan sibi mitteretur. Iam Gallicae provinciae destinatus erat, cum iussus est in Helvetia manere. Hoc ipso anno 1821, d. 8 Ian. ab a. R. P. Generali, Aloysio Fortis, Iesuitae Helvetiae, Belgii, missionis Hollandicae, Germaniae, 130 numero, in vice-prov. Helvetiae coniuncti erant.

d'autres certainement la plus grande. Au reste, je n'ai qu'à me féliciter de me trouver ici. J'ai passablement de l'ouvrage. Mon emploi est encore une fois la rhétorique des Nôtres. Dix jeunes-gens excellents comme ceux de ma première année à Pusza, composent ma classe ordinaire. En outre je suis chargé de revoir les discours qui se prononcent de temps en temps par les théologiens et les philosophes. A l'église, le confessionnal bien plus fréquenté que je ne l'aie jamais eu en Russie, quelques sermons de temps en temps, voilà mes occupations qui, par la grâce de Dieu, ne me laissent guère le temps de me laisser aller à la mélancolie. Ce qui me console le plus, c'est l'excellent esprit que nous trouvons ici : simplicité, charité, zèle, sainte pauvreté, enfin une religiosité parfaite dans tous, Supérieurs, inférieurs, et particulièrement dans une jeunesse de grande espérance, sont autant de motifs de louer et de remercier l'aimable Providence qui m'a conduit en ce lieu. Certes si au milieu de tant de bons exemples, je n'en deviens pas meilleur, c'est bien ma très-grande faute. Priez pour moi, mon très-cher Père, et bon ami en J. C. afin que je ne mette point d'obstacles aux bontés divines. Adieu, mon très-cher Père, priez pour celui qui ne vous oubliera jamais, et qui ne cessera jamais d'être avec l'attachement le plus sincère

Docet iterum rhetoricam iuniores scholasticos.

Confessiones audit et concionatur in templo.

Spiritus religiosus Collegii ei summo solatio est.

Votre très affectionné

J. Roothaan. S. J.

Arch. Postul. S. I. Copia.

LIV. Ad Patrem et Fratrem.

1. *Quod attinet ad hereditatem, rem ita composuit, ut et cognatis cautum sit et ipse a quacumque lite tutus.* — 2. *De litterarum commercio.* — 3. *Iterum Rhetoricam docet; gratiae Deo agendae.* — 4. *Salutationes.*

Briga, d. 21 Febr. 1821.

Pater observandissime fraterque carissime.

Mandatum procurandae hereditatis a patre petitum mittit.

1. — Quam primum potui mandatum, quod a me petistis, vobis mitto et quidem per Bern, ut a procuratore Neerlandico cognoscatur. Scriptum est Gallice, sicut exemplum, praeter ea quae ad lites pertinent, et ita compositum est, ut vestro respondeat consilio cavendi, ne, si quis vestrum mortuus sit, alienus lege vobis molestus sit. Quod ad lites attinet, ne his quidem gravarer, nisi omnia in hoc mundo incerta essent. Quoniam enim mortales sumus et fieri potest, ut pro fratre alius se rebus nostris immisceat litemque instituat, qua cadat idque tanto sumptu, ut a me, cum nihil possideam, pars pecuniae solvendae poscatur, propterea id unum excipere debui. Libenter parte mea cedo, non autem exponere me possum periculo, ne a me poscatur quod non habeam. Ceterum hac procuratione haereditates securae sunt. Quodsi postea lege agendum sit, certiorem me faciatis velim. Tunc enim tabulam donationis mittam, ex qua quae necessaria sunt fieri possunt, quin ad me aliquo modo pertineant. Quam tabulam donationis libenter nunc iam mitterem, nisi leges irritam esse iuberent eam, in qua de illorum haereditate, qui adhuc vivant, agatur.

Rem ita composuit, ut et cognatis cautum sit et ipse a quocumque litum periculo tutus.

De litterarum commercio.

2. — Spero equidem cautionem meam Patri fratrique non ingratam fore. Videtis me has litteras festinanter scripsisse, ut quam celerrime primo cursu precibus vestris satisfacerem. Responsum ad litteras, mense Augusto datas, nondum accepi; puto vos non satis solvisse pro vectura per Galliam. Iam eas amissas esse putabam. Litteraene ad Dominum illum, qui in Russia degit, transmissae sunt? (1).

Iam Germanice contionem habuit. Iterum Rhetoricam docet.

3. — Videtis me etiamnum Brigae commorari. Sorte mea admodum contentus vivo, iam aliquoties germanice contionem habui. Deo gratias ago, quod etiam plus quam antea laboris suscepi. Iterum officium meum est iuniores Iesuitas Rhetorica instituere. Deo gratiae pro rebus omnibus sint sempiternae! Me felicem, qui a miseriis mundi remotus sum! Ingenue fateor, huiusmodi rem pecuniariam me parum delectare, utique si me

Gratiae Deo agendae pro vocatione ad Societatem.

(1) Cfr. ep. LII.

solum spectem, quippe quae ad vestram securitatem et animorum tranquillitatem augendam facere possim, libenter faciam. Impensas excipio! Vectura litterarum iam satis cara est; frequentius scriberem, nisi pretium impediret.

Quod ad rem pecuniariam attinet, parentum conscientiae libenter consulet; illi autem expensas solvant!

4. — Vale, Pater observandissime fraterque carissime. Omnes mei valete. Commendo vos omnes tota mente gratiae Dei Eiusque amantissimae Providentiae. Salutem et observantiam dico D° Mosch cui etiam gratias ago pro benevolentia. Ascribo quoque salutem ceteris amicis, praesertim Rev. Patribus ecclesiae de Krijtberg.

Salutationes.

Servus vester Filius et frater amantissimus
IOANNES ROOTHAAN.

P. S. - Hic complures habitamus, qui beneficiorum D. Mosch non obliviscimur.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

LV. AD PATREM ET FRATREM.

1. *Vehementer animo commotus fuit, cum patri ac fratri, quos post 17 annos tandem aliquando revisit, iterum valediceret. Deus eius dolorem consolatus est.* — 2. *Gratias agit fratri pro pietate, qua se domo excepit.* — 3. *Salutationes, mandata.*

Culemburgo, d. 21 Iul. 1821.

Observandissime et carissime frater.

1. — Tibi necopinanti hac brevi epistola, quam iamiam missurus eram, laetitiam me allaturum esse speraveram, cum litteris d. 20 Iulii datis, quas modo accepi, me praevenisti. Dilectum Patrem nostrum sorte sua bene contentum esse et se sanctae Dei voluntati plene committere, magno gaudio me afficit; quae pia eius voluntas numquam deficiat! Quod ad me attinet, cum postremum vale inter nos diximus (1), animo commotus fui, paene dixi, magis quam cum a vobis ante hos 17 annos proficiscerer. Quomodo factum sit, nescio. Sive mihi tanta gratia Dei data non erat quanta illo tempore, quo sane maiore opus fuit, sive in te et in Patre et in reliquis cognatis tales animi sensus inveni, qui cum meis conveniebant quibusque singulariter inter nos coniuncti eramus: id unum scio, me impedire non potuisse, ne

Patri et fratri post 17 annos iterum valedicens magis animo commotus fuit quam quum primum proficisceretur.

(1) Annis 1821, 22, 23 socius R. P. Provincialis domos provinciae visitavit; qua occasione patriam urbem suosque revisit.

Ut se reficeret paulisper a coetu familiari discessit et coram Deo consolatore animi commotioni indulsit.

lacrimae oculis oborirentur. Ut me reficerem, paulisper a coetu familiari discessi et ante altare animi commotioni indulsi, rogans bonum Deum, ut sacrificium meum iterum accipere mihique gratiam dare dignaretur, qua post peractas huius miserae vitae peregrinationes in sempiterna vita ad se devenirem et cum dilectis parentibus amicisque, quos Illius causa, solius Illius causa prompto animo relinquerem, iterum coniungerer. Tum pax et tranquillitas animi, quae commotis animi affectibus paullulum perturbata erat, rediit. Deo gratias! Quae praesens dixi, ea absens nunc repeto. Optima voluntas tua mihi et pergrata fuit et spem fecit fortunam secundam, quae licet Dei favore ea utaris tamen periculosissima sit, te a maxima et praecipua cura aeternae salutis non abstracturum esse. Quamquam tibi exopto, ut identidem etiam obveniat fortuna adversa, quippe quae signum sit eorum quos Deus diligit.

Fortuna secunda periculosa est, adversa identidem optanda.

Fratri gratias agit pro caritate, qua se domo excepit.

2. — Gratias, mi frater, gratias tibi ago pro amore et studio quo me prosecutus es, gratias pro excursionibus suavibus, quas nobiscum facere voluisti, gratias quod tam comiter domo tua me excepisti. Deus te remuneretur. Ne obliviscaris velim uxori tuae observandae, revera observandae, iterum benevolentiam et aestimationem meam confirmare. Salutem plurimam ei dicas quaeso, osculare pro me carissimos liberos, praesertim parvam Ludovicam parvumque Theodorum. Dilectissimum Patrem pio et grato animo saluto. Dicas etiam salutem verbis meis materterae Meylink et omnibus, quorum mea interest, ut RR. PP. ecclesiae de Krijtberg, D.no Schaap (1), de quo monere nunquam opus erit. Vale mi frater, sit Deus tecum et cum observanda uxore domoque tua tota. R. P. Godinot (2) tibi patrique ex animo salutem dicit.

Salutationes.

Antverpiam proficiscetur, inde per Gandavum Lutetiam Parisiorum.

3. — Feria secunda d. 23 ad maiorem Dei gloriam Antverpiam proficiscemur, ubi fortasse dimidiam vel totam diem maneamus. Tibi gratias ago pro nominum inscriptionibus. Dein Gandavum ibimus, unde ante festum S. Ignatii non discessuri sumus. Eo si, sub inscriptione nominis P. Poelman, syngrapham Lutetiae Parisiorum permutandam miseris, antequam abibimus, mihi pergratum feceris. Mittenda est autem pecunia in partes divisas quia hoc modo facilius ratio habebitur complurium domorum, quibuscum Lugduni vel alibi agendum erit. Attamen ea res ne tibi oneri sit. Quomodo summa pecuniae

Mandata.

(1) D. D. Mosch et Schaap, quorum in epistolis saepius mentio fit, Alberto Roothaan tam communibus negotiis quam consuetudinis coniunctione maxime familiares erant. Revera tres «viri misericordiae» fuerunt, ad omne opus bonum parati.

(2) Nicolaus Godinot S. I. Remensis, n. 1761 e Pacanaristis a. 1810 in Soc. Iesu ingressus, provincialis primum Helvetiae, dein Galliae, ob. 1811.

tanta facta sit, nescio. Ne omittas velim nomina referre eorum, quibus gratias agere debemus, eisque interim confirmes nos beneficiorum memores esse.

Vale frater mi! Iterum repeto, Deus tecum sit. Maneo cum omni observantia

Frater tui amantissimus
I. Roothaan S. I.

P. S. - Spero patrem non aegre laturum esse, me sibi nunc separatim non scripsisse. Id postea faciam et quidem antequam a finibus patriae decessero. Quodsi fortasse negotium istius syngraphae non ita potueris ordinare, ut ante festum S. Ignatii Gandavum mittatur, inscribas quaeso: *à Monsieur Le Blanc au Collège de Syon, en Vallais, Canton Suisse,* sed tum non mittas syngraphan *à l'ordre de Mr N. Godinot, sed de Mr P. Leblanc.*

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

LVI. Ad Albertum Fratrem.

1. *Deus fratris beneficia remunerabitur. Quid de rebus secundis et adversis sentiendum sit.* — 2. *De aliquibus amicis quos iter faciens visitavit.* — 3. *Petit ut frater sibi mittat carmina ecclesiastica.* — 4. *Nondum a superioribus constitutum est, quo eundum et quod munus suscipiendum sibi sit.* — 5. *Salutationes.* — 6. *Amantissime Patrem alloquitur.*

Gandavo, 31 Iul. 1821.

Carissime frater.

Deum precatur ut fratri pro se gratias reddat.

1. — Litterae, quas die 29 misisti, mihi hodie mane adlatae sunt (. . . . .) [1]. Equidem tibi, cum accipere nolis, gratias non ago, sed Deus omnium bonorum auctor, (. . . . .) [1] compensabit. Id ab Eo pro te precabor, quo solo gratiam persolvere possum, et confido etiam S. P. N. Ignatium, propter quem dederis, aliquid additurum esse. Perge, mi frater, ex iis bonis quae Dei favore colligis, beneficia conferre, quod maximum ne dicam unum emolumentum est fortunarum, quae sine hoc, quin etiam cum hoc, semper periculi plenae sunt. Revera a Deo fortuna secunda datur modo amicis modo inimicis, sed fortuna adver-

Fortuna secunda ita utendum est ut aliis propter Deum bene facias, adversa, ut magis Dei amicus fias.

(1) Reticet et pecuniae summam, quae una missa fuerat, et nomen Patris Provincialis, qui eam accepit.

sa, oh! fortuna adversa patienter et aequo animo secundum sanctissimam Eius voluntatem tolerata, sors est electorum amicorum. Sed semper eadem repeto! Ignoscas, quaeso. Scio autem mea verba tibi non molesta esse; scio cui scribam ideoque aperto animo sum. Quare enim fratri vere christiano animi sensus absconderem? Verum de hac re satis esto. Deus tecum sit frater mi, Deus tecum sit et cum observanda uxore carisque parvulis tuis, semper Deus tecum sit! Eius gratia vobis omnibus semper ante omnia cordi sit. Aeternae veritates sint norma tua, SS. Sacramenta alimenta, oratio, oratio quotidiana consolatio et divinarum fons benedictionum.

Antverpiae apud amicos patris et fratris, homines vere christianos, deversatus est.

2. — Antverpiae, praeter spem, per duos dies mansimus. Deversati sumus apud D.m van de Vin de Maus, patrem familiae venerandae et vere christianae. In eodem cubiculo quo aliquando pater noster dormivi, quod meminisse mihi gratissimum fuit. Semel etiam apud D. Govaert cenavi. Profecto gratulor tibi de talibus amicis, quibuscum per litteras colloqueris; dicas illis, quaeso, occasione data, salutem et aestimationem meam, meque eorum beneficiorum memorem esse.

Salutationes.

Saluta etiam si placet D. Selt, cuius nomen haud scio an non ita enuntietur, quem Amstelodami vidi et qui tibi quoque notissimus esse videtur. Hospes nobiscum erat D. Govaerts. Matres familias Gilles et Roest in villa Contich prope Antverpiam visitavi. Etsi infeliciter accidit, ut hospitibus necopinato advenientibus impediremur, tamen me viso valde gavisae sunt. Antverpiae alios quoque cognatos observandi amici mei R. D. Gilles, piae memoriae, vidi. Soror eius Sophia rosarium eius mihi memoriae dedit. Ne longus sim, commoratio Antverpiae iucunda admodum fuit. Item cognitio R.i D.i Donche mihi multum placuit. D° Equiti van Adrichem, quaeso, aliisque amicis, quibus res meae curae sunt, salutem meam dicas. Non memini me R. D. Wennekers unquam cognovisse, sed si quis me in eius notitiam reduxerit libenter homini tantae dignitatis et diligentiae observantiam, quam debeo, per litteras ostendam. Ita feci quod attinet ad R. D. Wedding, Missionarium apostolicum in urbe Batavia.

Rosarium amici Io. Gilles memoriae accepit.

Nuntii, mandata.

Prudens iudicium de professore Schrant.

Visitare D. Schrant (1) nequaquam decuit. Nulli clerico saeculari nedum regulari honori est consuetudo istius hominis, quantum quidem audivi. Deus det illi...! Ceterum, quod nescio, fieri potest, ut bona intentione se agere putet. At dignitati eius Professoris et Rectoris Universitatis (2) non est cur invideatur! D. van der Cruyssen, qui tertius una nobiscum iter fecit,

(1) Cfr. ep. III.

(2) Universitas Gandavensis, a gubernio neerlandico Iosephismo imbuta erat.

maxime contentus est quod se Amstelodami tam officiose domo hospitem excepisti. Pluries a me petivit ut tibi, quod in superiore epistola scribere oblitus sum, gratum eius animum significarem.

3. — Admonere te non vereor carminum sacrorum, Missarum, litaniarum, aliorum huiusmodi, si quae invenieris quae facile ad organum cantantur. Pueri nostri Brigenses tam belle canunt! Occasione data provideas carissime frater. R. P. Fol [1] novit utique, quomodo optime nobis mittantur.

Admonet fratrem promissi ab eo facti de mittendis cantibus sacris.

4. — Quod munus mihi anno proximo suscipiendum sit dubium est. Hac ipsa die Gandavi ab amico, qui Vindobonae habitat, litteras accepi e quibus cognovi nonnullos desiderare me in Galliciam missum iri, ubi magna pars fratrum, qui e Russia expulsi sunt, versetur. Quid futurum sit nescio. Quod si evenerit, denuo longius a te abero. Fiat voluntas Dei! Quodsi ibi plura incommoda essent... eo melius! Mihi autem veri similius esse videtur destinationem de qua locutus sim non mutatum iri. Iterum dico: Ut Deus voluerit, fiat! Dummodo in manu Dei simus, quod quidem Deo iuvante a nobis pendet, omnia bene se habent. Quid nobis maxime prosit, solus Deus scit, qui, quum sit infinite bonus, id etiam dare et potest et vult. Quid amplius desiderare possumus? Quis fons tranquillitatis et pacis! Itaque male nobiscum agi non potest, nisi ipsi bono nostro obstamus.

Dubium etiamnum est, quod munus suscipiendum et quo eundum sibi sit.

Fiat voluntas Dei.

5. — Salutem plurimam et gratiarum actionem tibi dico a meo bono sene Rev. P. G. [2], quocum iter facio. Sua ipse manu scripsisset, nisi maximopere occupatus fuisset. Quocirca ego feci. Cras hinc proficiscemur. Intra spatium unius mensis ut speramus domi erimus, ubi mox audiam utrum a *dextra* an a *sinistra* parte incedendum mihi sit an manendum in *statione!* Si mihi litteras dare velis, dum in Helvetia degam, noli oblivisci solvere pretium etiam pro taxatione gallica; secus litterae nescio quo in Gallia retinebuntur. Quodsi in Gallia habitabo non opus erit ita facere. Vale carissime frater. Ex animo salvere iubeo totam familiam tuam ceterosque cognatos. — Parva Ludovica Theodorusque parvus subscripserant. Macte! Satis bene fit. Non iam sunt, quod olim dicebamus: « *Haanepooten et Menschenbeenen* » [3]. Bonus Deus omni domui tuae praesidio sit!

Salutationes.

Nuntii, mandata.

---

(1) Franciscus Fol, S. I. Belga n. 1782 Ichtegem, sacerdos factus ingr. 1814 Lovanii eodemque anno missus Amstelodamum, primum sacellanus dein Superior Eccl. de Krijtberg usque ad a. 1849.

(2) R. P. Godinot S. I.

(3) Facete dictum, quo pater primas litteras nondum bene informatas suorum liberorum iudicare solebat.

Dicas, quaeso, RR. PP. qui in de Krijtberg sunt, observationem et aestimationem meam; item D. Schaap aliisque notis. D. Mosch salutare numquam obliviscare!

Pia vota.

Vale mi frater! iterum vale. Deus tecum sit et maneat tecum et cum tuis. — Ita desiderat

frater tuus amantissimus
IOANNES ROOTHAAN S. I.

Amantissime Patrem senem alloquitur eumque de pueritia sua recordatur.

6. — Pater observandissime. Vides sane me primae institutionis tuae minime esse oblitum. Etiamnum memini vocum illarum « *Haanepooten et Menschenbeenen* », quod audire sane gratissimum tibi erit; mihi certe est. Scio profecto, quanta tibi debeam non tantum ea communi ratione qua omnes liberi patrum debitores sunt, sed singulari etiam, quod nos tam diligenter et studiose instituisti.

Oh quam saepe vel minimas istas res recordatus sum. Revera quanta tibi debeam, nunquam mihi e memoria excedet. Noli umquam dubitare, quin quotidie in precibus meis tui memor sim, praesertim in SS° Missae Sacrificio, quo nos pauperes sacerdotes nobis atque aliis divites sumus. Oh utinam thesauros illos aperire eisque uti sciamus! Ceterum, si facimus quod possumus, Deus liberaliorem se praebebit quam intellegere vel etiam desiderare valemus.

In Cordibus Iesu et Mariae cum eo coniunctus est et manet.

Vale, mi pater. Quotidie in SS. Iesu et Mariae Cordibus convenimus. Quod si cogitamus, mente alter alteri coniuncti sumus, donec tempus advenerit, quo una simul futuri sumus, numquam separandi. Deus consolatione nos roboret exaudiatque salutaria nostra desideria.

Filius tuus amantissimus
IOANNES ROOTHAAN, S. I.

P. S. - D. Poelman etiam nunc meminit te apud se degisse; nos ad D. Steets deversi sumus. Uterque exspectat brevi D. Schaap. Sic Deus ubicumque suos conservat.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

LVII. Ad R. P. Mauritium Nizard.

1. *Gratias agit pro benevolentia; desiderat amicum videre.* — 2. *Mutato superiorum consilio non profecturus est in Galliam.* — 3. *Petit, ne nimiam de se opinionem aliorum foveat.* — 4. *Salutationes, vota.*

Brieg, 17 Sept. 1821.

Mon très-cher Maurice.
P. C.

Respondet litteris amici quem videre desiderat.

1. — Je me hate de répondre à votre lettre pleine d'amitié que vous avez bien voulu m'écrire le 3 de ce mois. Vous me marquez le grand désir que vous avez de me voir avant votre départ, et vous me pressez de vous marquer le jour où je pourrai compter d'arriver à Paris. Vous savez combien je vous aime, et l'affection que vous venez de me témoigner encore dans votre dernière lettre, ne peut que renouveler et augmenter encore, s'il est possible, celle que j'ai toujours eue pour vous depuis que nous avons fait connaissance. Vous jugez donc aisément quelle satisfaction ce serait aussi pour moi, si nous pouvions encore une fois nous voir et nous embrasser. Il paraissait en effet, il y a quelques mois, que cette consolation ne devait pas nous manquer cette année-ci.

Iter Lutetiam Parisiorum iam constitutum fuit, sed mutato Superiorum consilio eo non est profecturus.

2. — Lorsque je partis au mois de mai dernier avec le R. Père Godinot pour la Hollande tout était disposé de manière à ce que tout de suite après notre retour, ou même si l'année eut été avancée, sans retourner à Brieg, je pusse aller vous joindre. Cependant voilà comme la Providence se joue de nos plans! Etant encore en Belgique je reçus une lettre du Père Landès (1) par laquelle je compris que mon voyage pour Paris commençait à souffrir des difficultés. Depuis ce temps là je doutais s'il en serait quelque chose et mes doutes n'ont fait qu'augmenter depuis. Le Père Richardot (2) m'avait écrit lorsque j'étais absent de Brieg; il me pressait de ne pas tarder pour qu'il ne fût pas gêné dans ses dispositions. Que faire? Vous savez que je n'y suis pour rien.

J'ai depuis reçu encore des ordres réitérés de ne pas partir. Je suis donc en suspens, et je ne vois pas encore quelle sera la

(1) P. Aloysius Landes, n. 1767, ingr. 1787, superior missionis Saratowensis (Russiae) et Provinciae Russiacae, rector collegii Polocensis, provincialis Galiciae, Assistens pro Germania. Obiit Romae 1844.

(2) P. Desiderius Richardot, lingonen., n. 1769, ingr. 1792, provincialis Galliae, ob. Metis 1849.

fin de tout cela, mais très probablement je n'irais pas en France
Brigae manebit. et je n'irai pas non plus ailleurs de sitôt à ce qu'il paraît. En attendant je continuerai à faire ce que j'ai fait l'année dernière. Voilà tout ce que je puis répondre, mon très cher Père N. à tous vos arguments et à toutes vos invitations. Elles sont l'expression de votre amitié, mais vous savez qu'il ne dépend pas de moi d'y répondre autrement. Vous me dites beaucoup de choses qui devaient m'engager à aller bien volontiers en France; mais est-ce que vous ne me connaissez pas assez, pour savoir qu'il n'y aurait pas la moindre opposition de ma part?

Nimia est de se opinio et exspectatio, cui profecto nunquam respondere poterit.

3. — Au reste, ce que vous me demandez de l'empressement avec lequel des personnes respctables m'attendent, qui ne me connaissent pas et que je n'ai pas non plus l'honneur de connaître, c'est bien certainement encore un pur affet de votre amitié; mais j'ai grand lieu de croire que si je ne vais pas en France, ce sera pour m'épargner une mortification sensible, car certainement je ne répondrai jamais à l'attente qu'on a conçue de moi sur je ne sais quels renseignements. Oh! qu'on se trompe souvent
Amicus ei parcat! dans ses opinions, lorsque c'est la bonté de coeur, l'amitié qui les ont suggérées. Au reste, je vous prie de témoigner mes respects et ma reconnaissance à tous ces Révérends Pères qui ont tant de bonté pour moi, sans que je l'aie aucunement mérité; mais prenez garde, s'il vous plaît, de ne pas me calomnier en leur racontant peut-être sur mon compte des choses que vous ne savez pas; car certainement vous ne me connaissez pas bien.

Salutationes, vota.

4. — Adieu, mon très estimé et très cher ami, priez pour moi, non plus comme vous me dites dans cette dernière lettre, pour que j'aie un heureux voyage pour arriver chez vous, car il paraît qu'il ne faut plus y penser, mais pour que je fasse la volonté de Dieu, qu'il daigne me placer où je pourrai le mieux l'accomplir, et que je l'accomplisse en effet. Je suis un pauvre misérable, je ne suis rien, je ne puis rien, je suis aussi indigne que le Seigneur se serve de moi pour faire quelque chose pour lui.

Votre très affectionné
JEAN ROOTHAAN S. J.

ARCH. POSTUL. S. I. Copia.

LVIII. Ad Albertum Fratrem.

1. *De syngraphis a fratre missis.* — 2. *De statu collegii Brigensis; de stipe oblata; de modo quo Societas benefactorum memoriam conservat.* — 3. *In Austriam profecturus est.* — 4. *Vita sempiterna in omnibus rebus ante oculos habenda est.* — 5. *Salutationes.*

Briga, 22 ..... 1821 (¹).

Frater carissime.

1. — Die 22 huius mensis pergratas quas Antverpia die 11° misisti litteras accepi, quibus me metu syngrapharum liberasti. Ipse R. P. Godinot nequaquam de eis sollicitus fuit, sed cum R. P. Le Blanc (²), cui pecuniae cura commissa est, dubitaret an syngraphae amissae essent, equidem scripsi me putare, te propter multiplicia negotia erravisse. Ceterum quod paullisper anxii fuimus, ut puto, non aegre tuleris!

Syngraphae a fratre missae allatae sunt.

2. — Hoc anno sodalium nostrorum numerus praeter solitum auctus est. Illi autem qui ingressi sunt ad unum omnes iuvenes etiam sunt, quos antequam Societati auxilio esse possint, diu institui necesse est. Quod incrementum ab altera quidem parte optimum esse videtur, cum huiusmodi iuvenes melius formare possimus, ab altera autem pecunia sublevandum est. Quod attinet ad summam, quae Patri nostro « ad usum Brigae » missa est, verisimile est, eam a Domina Roest oblatam esse, quae matrona pia et benigna cum magno studio ea, quae de condicione Collegii nostri Brigensis narrabam, audivit. Non dubito quin pater eam certiorem faciat de perpetuis gratiis quas Societas ei habet. Quod neque in Sophiam Gilles intermisisse te existimo. Praeter pia opera quae in Societate singulis diebus, hebdomadis, mensibus, annis, pro benefactoribus fiunt, SS. Missarum Sacrificia et preces dico, tales homines benefici participes sunt omnium, quae Societas eorum opibus ad maiorem Dei gloriam et ad salutem animarum procurandam pro viribus suscipit. Dies Nativitatis B. M. Virginis, qua haec pecunia a patre missa allata est, pios grati animi affectus nostros auxit erga S. Matrem Dei, quam Societas singulari ratione tamquam Matrem veneratur, quippe cui post Deum omnia debeamus. Quodsi quaeris rationem pecuniae transmittendae, non melius facere poteris, quam eam, sicut iam dudum solebas, Lug-

Multi candidati Societatis iique iuvenes ingressi sunt.

Gratiae agendae sunt piis benefactoribus.

Qui ceteroquin bonorum operum quae in Societate fiunt singulari ratione participes sunt.

Qua ratione pecuniae optime mittantur.

(¹) In autographo legitur: Brig. 22 ...ber 1821, deleto nomine mensis; sed ex argumento apparet, epistolam hanc scriptam esse ante ep. LIX et post ep. LVII.

(²) Petrus Le Blanc, n. Cadomi 1774, ingr. 1814 in Belgio, ob. in oppido Drongen 1851.

dunum vel Lutetiam Parisiorum mittere, « à l'ordre de Mr N. Godinot », duobus mensibus praestitutis. Transmittas autem velim eam aut nomine meo inscriptam, aut ad ipsum R. P. Godinot. Praeter has nominum inscriptiones nihil addas. Sed hoc sua sponte intellegitur. — N. B. Taxa postalis esto Gallica.

Post aliquot menses Vindobonam proficiscetur.

3. — Quod ad meam destinationem attinet, haec tandem aliquando definita est: non in Galliam sed in Austriam proficiscar. Munus, quod ibi suscipiam, in Societate magni momenti est. Dominus mihi tribuat ut id bene expleam et ut Societatis voluntati et exspectationi prorsus satisfaciam. Nihil sum, nihil possum, verum omnia spero ab auxilio caelesti. Ceterum verisimile est me, donec res Vindobonae constituantur vel parentur, per aliquot etiam menses hic mansurum esse. Poteris itaque interim huc ad me litteras dare; immo etiam cum Vindobonae vel in Austria degam, melior et securior epistolarum mittendarum via, ni fallor, per Brigam ducet. Hic enim scient, quo loco commorer, hinc libenter litteras transmittent.

Litterae autem per Brigam ei mittantur.

Suos pie et ardenter adhortatur, ut vitam sempiternam in omnibus rebus ante oculos habeant.

4. — Age porro, carissime frater, pater et soror observandissimi, semper cum Deo coniuncti simus. Quo loco quave in conditione, dum hic vivimus, versemur parvi interest, modo ad vitam aeternam perveniamus. Vos et carissimi liberi vestri quotidie menti meae obversamini, quamquam non aliam ob causam nisi ut aeternam vestram salutem Deo commendem. Quae sunt huius temporis praetereunt, quae autem aeternitatis iam prope sunt, immo propius quam fortasse putemus. Procul abesse certe non possunt, quandoquidem vel longissima vita aeternitati, quae nos manet, comparata unum tantum temporis momentum est. Uno momento de nobis actum erit, quo derelictis rebus terrenis cum solis operibus nostris magnum illud aggrediemur iter, quod in aternum nostro nos in loco collocabit. Felices nos, siquidem ubere cum copia hinc profecturi sumus! Oh quam libenter nos recipiet Pater noster pientissimus, quem in caelo habemus, modo Ei confidamus, modo gratias habeamus pro Eius beneficiis, etiam pro rebus difficilibus atque adversis, quae ut nobis acciderent providere dignatus est, quippe quae etiamsi non plane perspiciamus beneficia maxima sint.

Frater *in* mundo versatur sed non licet ei esse *de* mundo.

In mundo es, frater carissime, neque fieri potest, ut non in eo sis, sed non *de hoc mundo* esse licet. Intelligis, ut opinor. Id quotidie a Deo pro te peto. Spero quoque te non oblitum esse parvi illius exercitii pii in honorem S. Cordis Iesu, quod equidem una vobiscum facio. Tertia vero cuiusque mensis die dominica vel feria secunda singulariter vestri memor sum, quia ea die confirmatis consilia faciendi id quod maxime conducat ad assequendum illum, a quo omnia revera omnino dependent, beatum finem.

Sodalitas Bonae Mortis.

5. — Valete pater, frater, soror. Deus vobiscum sit et cum liberis vestris. Non necesse est me in hac vita vos videre; fiat id quod Deo placuerit. Sed maxime sane necesse est alter alterum in sempiterna vita beatos videamus. — Valete. Dicite quaeso, salutem materterae Meilink et reliquae familiae, DD. Mosch et Schaap, cognatis ceteris, amicis, benefactoribus. Reverenter adscribo salutem Patribus ecclesiae de Krijtberg. — Vale, Frater! Salutationes.

Totus tuus et frater amantissimus

IOANNES ROOTHAAN.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

LIX. AD ALBERTUM FRATREM.

1. — *De pecunia accepta et de statu collegii; Deus providebit.* — 2. *Dominus fratri eiusque domui benedicat!* — 3. *De vitae brevitate; parum sibi profecisse videtur in divino servitio.* — 4. *Salutationes.*

Briga, d. 23 Nov. 1821

Carissime frater.

1. — Gratissimas litteras tuas, 9 Nov. ad me datas, 20° accepi cum syngrapha, quam R. P.[1] Godinot per aliquas hebdomadas iter facienti misi. Addidi sicut mandaveras significationem tuae erga eum voluntatis, de qua profecto non dubitavit. Eius igitur nomine gratias tibi ago pro data opera et confirmo tibi amorem eius et observantiam. Quod D.na Roest non statim professa est, se nobis pecuniam illam misisse, beneficii pretium non minuit. Eiusmodi enim opera bona, in quibus *nescit sinistra quid faciat dextra,* quam pretiosissima sunt in conspectu Dei. Numerus iuvenum nostrorum hoc anno additis 37 auctus est, licet multos eorum qui nomen dederant recipere non potuerimus. Illos autem, qui idonei esse videbantur, recepimus maxime freti divina Providentia, quae nobis res necessarias deesse non non patietur. Orantibus « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie », nihil timendum est. Profecto Deus singularia consilia

Syngraphen D.ae Roest accepit.

Numerus scholasticorum auctus est.

cum his adulescentibus habere videtur. Faxit ut omnes in sancta vitae ratione maneant et exspectationi respondeant. Verisimile est, me etiam per aliquod tempus hic commoraturum esse, cum ea quae ad novam domum constituendam requiruntur parum procedant. Ceterum satis hic occupatus sum neque ante festum Paschatis profecturus esse mihi videor.

Deum precatur ut fratrem remuneretur non tam bonis temporalibus quam gratiis supernaturalibus.

2. — Gratias tibi ago, care frater, pro pietate et benevolentia, quibus mihi auxilium tuum obtulisti si Vindobonae re quapiam egeam, quod quidem pro mea parte non futurum esse puto. Deus profecto tibi remunerabitur, non tam rebus secundis, quibus saepius eheu simul cum impiis utimur quasque propterea ut nobis tribuat orare numquam audeo, quam rebus vere bonis, gratiis inquam, quibus domum tuam liberosque secundum Divinam voluntatem bene gubernes, atque per media bona temporalia ita progrediaris, ut non amittas aeterna. Quod malum, omnium sane perniciosissimum Deus a te tuisque avertat! Magna animi voluptate ea, quae de Theodoro et Aloysio scripseras, legi. Deo gratias! Spero autem priorem non nimis laudatum iri, eum cum ingenii acritate coniuncturum esse pietatem, imitaturumque fratrem modestia et bonis moribus.

Vita brevis est. Parum sibi praestitisse videtur pro vita sempiterna.

3. — Hanc epistulam d. 23 Nov. scribo (¹). Iam igitur per 36 annos vitam in hoc mundo egi dimidiamque huius temporis partem in peculiari Dei servitio. Sed bone Deus! Quam pauca adhuc praestiti pro vita sempiterna. Pro illa vita sempiterna, quae celeribus gradibus quotidie appropinquat! Dies, menses, anni praetervolant, donec veniat extremus annus, extremus mensis, dies extremus, momentum illud, in quo omnia quae fuerunt tamquam somnia nobis apparebunt. Ea sola non praetervolant, quae pro Deo suscepimus vel passi sumus, nec ea quibus Deus offensus est et conscientiae hominum vexantur. Persuasum mihi est patrem et te et alios mei hodie memores esse. Bonus Deus vota vestra exaudire dignetur, quibus, ut confido, mihi nihil aliud precati estis, nisi ut in omnibus rebus, quae Deo placita sint perficiam, utque ad maiorem Eius gloriam multum laborare atque pati valeam.

Salutationes.

4. — Vale, frater mi. Confirmes quaeso patri memoriam meam quotidianam, gratias debitas, pietatem. Dicas etiam uxori tuae observantiam et amorem meum. Osculare pro me liberos tuos carissimos, quos semper Deo commendo, una tecum, frater carissime, et cum uxore tua. Valete, Deus vobiscum omnibus sit. Sacrum vobis precor tempus Adventus et Festos dies plenos gratiarum, donec Deus Optimus misericordia sua nos

(¹) Die natali; natus est d. 23 nov. 1785.

coniungat die Festo sempiterno. Saluta a me RR. Patres ecclesiae De Krijtberg, materteram Meilink, D. Mosch, D. Schaap, ceteros amicos.

Frater tibi devotus tuique amantissimus

IOANNES ROOTHAAN, S. I.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

LX. Ad Patrem et Fratrem.

1. *Nomine R. P. Nic. Godinot pro donis gratias agit.* — 2. *Non profecturus est Vindobonam, ubi Societatis inimici superiores facti sunt.* — 3. *De sacris missionibus.* — 4. *Salutationes.*

Briga, 16 Mart. 1822.

Pater observandissime fraterque carissime.

Nomine R. P. Godinot pro donis acceptis gratias agit.

1. — Has ego vobis scribo litteras nomine R. D. Godinot, qui hoc modo tibi, frater, gratias agit pro monumento Calvarii montis, tibi autem pater, pro crucifixi imagine argentea, quae ut ex ecclesia De Krijtberg huc mitteretur permisisti. Aliquot ante diebus hae duae res, haud magna detrimenta expertae, ad me pervenerunt; quarum prior iam posita est in sacelli altari, cui perbene convenit, posterior praesertim diebus festis usurpabitur. Bonus Deus vobis praemium amplissimum tribuat pietatis vestrae vosque singulari ratione omnium S. Sacrificiorum, quae coram imaginibus istis offerentur, et omnium piarum cogitationum, quae illarum intuitu in animis devotis excitentur, participes faciat. Magnas quoque gratias, frater sororque carissima, vobis pro iis rebus habeo, quas contulistis et etiam nunc confertis ad ornandam ecclesiam De Krijtberg. Id vobis etiam nomine R. D. Godinot scribendum mihi est, cui quidem officio libenter satisfacio. Augeat Deus magis magisque studium vestrum sacrae domus suae, nosque omnes aliquando in sempiterna ac beata Domo recipere dignetur.

Deus remuneraturus est.

Vindobonae res Societatis male procedunt. — Brigae manebit.

2. — Ad me quod attinet, profectio Vindobonam iterum dilata esse videtur, cum res ibi omnino commutatae sint. Tantum inimici nostri strepitum fecerunt, totque tam veteres quam novas divulgarunt ac typis mandaverunt in Societatem calum-

nias, ut vel multi amici nos suspectos habere et sanctissimus Imperator noster si non adversarius saltem neglegens in nos exstitisse videatur. Sic discimus favori hominum minime fidere, sed tantum oculos attollere ad illum Dominum, qui caelum et terram gubernet. Ceterum mea nihili interest, quo habitem, modo ad Dei honorem, in vitae genere ad quod vocatus sum, laborare possim. Huiusmodi autem laboris occasio hic non deest; Deo gratias.

Multo cum fructu sacras missiones habuit.

3. — Quatuordecim ante diebus ego duoque alii sacerdotes « missionem » habuimus per novem dies, in quorum singulis quater de gravioribus sanctae Fidei veritatibus et de christianis officiis concionati sumus. Ad 4.000 hominum eis interfuerunt, qui numerus haud modicus est pro illa regione, quae quamvis lata a paucis tantum incolis habitatur.

Vix mente concipi potest, quantum ad salutem animarum procurandam haec exercitia valeant, quot homines illis diebus vitam suam bene ordinent. Hodie in alium locum, qui hinc quinque horis distat, proficiscar, ut cras eosdem labores aggrediar.

Quando in Hollandia habebuntur?

Utinam huiusmodi exercitia spiritualia apud vos haberi possent! Sed tempus nondum venit et quis scit an unquam veniat? Necesse igitur est, unumquemque sibi et suae familiae curare, ne umquam aeternas illas veritates obliviscatur, ut res aeternas transeuntibus anteponat, ut quae aeterna non sunt nec ad beatam aeternitatem aliquo modo pertineant, animo contemnat, ut illis pro sedulo Dei servitio praemiis potiatur, quae veri christiani meritis Salvatoris adepturos se esse sperent.

Salutationes.

4. — Vale, pater observandissime, vale, frater carissime; dicas quaeso salutem uxori tuae, materterae Meilink ceterisque amicis. Mente complector quoque parvulum Aloysium, Theodorum, alios. Deus vobiscum sit omnibus; omnibus precor beatum festum paschale. Adscribo cum reverentia salutem RR. PP. ecclesiae De Krijtberg. Quotidie in SS. Cordibus Iesu et Mariae vobiscum coniunctus maneo.

Servus vobis devotus
Ioannes Roothaan, S. I.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

LXI. Ad Albertum Fratrem.

1. *De itinere Vindobonam faciendo et de profectione in Hollandiam.* — 2. *Dolet quod aliquis Pater S. I. implicatus est pio quodam opere, quo dissensiones inter Catholicos Brabantinos et Hollandicos exortae sunt.* — 3. *Frater, ut est prudens, ab huiusmodi dissensionibus alienus est; multo magis Iesuita se abstineat oportet.* — 4. *Petit ut certior fiat de iis quae facta sint.* — 5. *Salutationes.*

Briga, 29 Mart. 1822.

Observandissime et carissime frater.

1. Die 16 huius mensis ad te scripsi, veri esse simile iter meum Vindobonense nondum brevi futurum esse, immo Vindobonae spem nostram omnem sublatam esse videri. Iam age, revera ita res sese habet. Interea sperabam me te, patrem, carissimam familiam tuam hoc anno iterum visurum esse, quod et in litteris me significasse puto. Hodie autem e missione reversus, epistolam accepi e qua colligo, nihilominus facile fieri posse ut Aprili mense Vindobonam proficiscendum mihi sit. Nihil adhuc constitutum est ideoque copia vestri visitandi etiamnum manet. Fiat ut Deo placuerit! Sancta eius voluntas regula atque gaudium nostrum omne est!

Verisimile iterum factum est, eum brevi Vindobonam profecturum esse.

Dei voluntas fiat!

2. — Non sine dolore cognovi, catholicam societatem, quae ad bonos libros in Hollandia Brabantiaque divulgandos constituta esset, infelici errore et dissensione turbatam esse, eaque de causa bonum illud auxilium catholicis saltem in Hollandia evanuisse. Cum veri simile sit, tibi de hac re aliquid innotuisse, libens aliquem nuntium a te accipiam, potissimum, carissime frater, quatenus R. P. de H. (1) qui Culemborgi degit, ea re implicatus sit. Anno superiore ibi commorantes valde mirati sumus, R. P. tantopere se illis rebus immiscuisse, non quod huiusmodi societas non valde utilis esse videatur, sed quod non ad officium nostrum pertineat, immo saepe ansam praebeat, qua a fine nostro avertamur. Talia opera consiliis iuvare utique possumus, administrare autem nobis nequaquam convenit. Quod sane iam dudum experientia didicimus. Iam age in R. P. d. H., timor noster probatus est.

Dolet quod pater quidam S. I. implicatus est dissensionibus, quae inter Catholicos ortae sunt.

Convenit pia opera consilio iuvare, non autem administrare.

Sine dubio audisti de dissensione, quae illius societatis causa inter utramque factionem, Brabantinam et Hollandicam, facta sit et de parte satis magna quam R. P. eius habeat. Hac re

(1) Petrus de Hasque, n. in pago Corthys a. 1776, ingr. 1814, ob. Culemburgi a. 1846.

multi amicorum nostrorum qui in Brabantia habitant, valde offensi sunt. Ecce, quod unus facit semper in nos omnes recidit; quod quantopere nostro fini noceat, facile intellegis.

Frater se ab huiusmodi dissensionibus abstinet; quanto magis Iesuita ab illis alienus sit oportet!

3. — Persuasum mihi est, te qua sis naturali a Deo praeditus prudentia, a talibus dissensionibus, quae amicitiam et insignia negotia, quae in Brabantia gerenda habeas, turbare possint, abstinere. Quanto igitur magis nos, qui ad consequendum finem nostrum, omnibus rebus temporalibus longe praestantem, benevolentia piorum hominum, etiam eorum, qui inter se contendunt, carere non possumus, a tali discordia quam maxime alieni esse debemus! Si quis enim nostrum cum altera factione stat, certe offendit alteram, cui propter hanc privatam offensionem fides universae Societatis minuitur. Extremum est, inimicos nostros talem occasionem nactos haud omittere ignem discordiae excitare! Quod hic scripsi facile intellegis. Nostrum est in huiusmodi discordiis neutram partem sequi; bellum cum sola impietate et cum peccatis gerimus, ceterum nulla vox nobis magis necessaria est quam: « *pax et amor in Domino* ».

Petit ut certior fiat de lite, quae ab altera factione instituta esse dicitur.

4. — Audivimus ab altera factione societatis istius catholicae dissidentis litem institutam esse. Iam vero fieri nequit, ut R. Pater ei intersit. Qua de re libenter aliquid ex te cognoscam, non de discordiarum causis, quae ad nos non pertinent, sed quas partes R. P. de H. Culemburgensis in eis habeat et num istius litis, quod Deus avertat, sit particeps. Res magni momenti est, carissime frater, ideoque rogo te per fraternum amorem tuum, magis etiam per tuam Societatis nostrae benevolentiam, cuius tot documenta dedisti, ut scribas, quo loco res istic sint. Scribas autem secreto, si ita tibi visum fuerit. Obsecro te, ut fiduciae, quam sincerae amicitiae tuae habemus, respondeas.

Nuntii, salutationes.

5. — Rev. Dom. Donche non iam Societatis nostrae socium esse, in vulgus emanavit; potes igitur cum omnibus, ad quos pertinet, id communicare, immo optandum est, ut sciatur.

Vale, carissime frater, spero te quam primum possis responsurum esse. Salutem a me dicas patri, coniugi, ceteris, sed causam, propter quam scripsi, iis solis dicas, quibus tibi utile esse videbitur.

Vale! cum obsequio et fraterno amore permaneo

studiosus servus et frater tui amantissimus

Ioannes Roothaan, S. I.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

LXII. Ad Albertum Fratrem.

Sors eius inter Galliam et Galiciam adhuc anceps haeret. Cito in Hollandiam est profecturus.

Briga, 1 Mai. 1822.

Carissime frater.

Sors mea revera valde mutabilis est! Paullo ante constitutum erat, ut hoc anno iterum cum R. P. Godinot te visum venirem. Dein mense Martio Vindobona litteras accepi, quae nuntiarunt, me cum in ea urbe nihil boni exspectandum nobis esset, in Galicia desiderari eaque de re iam ante quindecim dies Romam scriptum fuisse. Ad quae quid responderetur cum opperirer, extremo mense Roma scriptum est, ut ad tempus in Helvetia manerem, quin de Galicia verbulum adderetur. Quid tandem aliquando futurum sit nescio neque curo. Nihil ea re moveor neque moveri me decet. Ceterum id iam certum esse mihi videtur, nos primum consilium perfecturos esse, ideoque me iterum vos esse visurum.

Etiam atque etiam destinatio eius mutata est.

Patri nostro haec visitatio profecto grata erit. Salutem et reverentiam meam ei dicas, quaeso; item observandae uxori tuae, materterae Meilink, reliquae familiae.

Brevi in Hollandiam proficiscetur.

Vale, carissime frater. Brevi hinc proficiscemur et antequam has litteras acceperis, sane multum iam progressi non longe a te distabimus. Nisi intra hebdomadam iterum novus nuntius omne consilium evertat! Vale. In bona valetudine te totamque familiam me inventurum esse spero.

Salutationes.

Studiosus servus et frater tui amantissimus

Ioannes Roothaan, S. I.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

LXIII. Ad Albertum Fratrem.

1. *De itinere.* — 2. *Dolet quod hoc anno fratri S. Communionem suis manibus dare non potuit. Hortatur eum, ne negotiis nimiis occupatus curam spiritualem domus suae neglegat.* — 3. *Salutationes, etc.*

Culemburgo, 10 Iul. 1822.

Rev. Dom. G. tibi et patri salutem plurimam dicit. Id quod antecedere debuerat, ultimum quidem scripsi sed tamen ante alia (1).

Carissime et observandissime Frater.

Mox Culemburgo profecturus est.

1. —Has tibi litteras, ut promisi, ante scribo quam iter persequar. Si nullum intervenerit impedimentum, feria IV mane proficiscemur. Veri simile est, me per unum vel duos tantum dies in via moraturum esse, quo tempore tuos meosque, e quibus D. Van de Vin. de Maus, ut spero, nobis non recusabit hospitium, visurus sum. Occasione data ei me, quaeso, commendes.

Nuntii, salutationes.

De Seminario Culemburgensi (2) non habeo quod scribam. Cum nemo esset, qui me de ea re certiorem faceret, tecum locutus eram, sed hodie omnia, prout fieri potuit, bene sunt ordinata. Carissimam uxorem tuam, sororem meam, quae cum aliquibus liberis in nostra degit vicinitate, visitare non potero ideoque ei per D. Mosch, qui huc hodie venit, plurimam salutem dixi. Vale igitur, carissime frater, vale.

Dolet quod fratri hoc anno S. Comunionem dare non potuit.

2. — Anno superiore magno mihi solatio fuit, quod tibi tuaeque uxori mea manu S. Comunionem dedi. Id hoc anno prae nimiis negotiis tuis factum non est neque etiam eadem de causa spatium invenimus, tam saepe inter nos colloquendi. Ceterum, carissime frater, ne sinas te negotiis omnino occupari, sed cogites velim, unam tantum rem esse necessariam, eandemque solam revera *tuam* esse. Reliquae res non tam sunt tuae quam familiae et liberorum tuorum, salus tua aeterna tui solius est. Cui si bene consulitur, omne fere lucrum tibi eveniet, sin autem, tibi soli, cuius nullus particeps esse potest, damnum. Hoc mihi, frater carissime, solatio est, quod sicut anno superiore inter nos locuti sumus, singulis saltem mensibus te recipiendis SS. Sacramentis emendare et corroborare conaris. Mihi crede, quanto pluribus negotiis occupatus es,

Monet eum, ne nimiis negotiis occupatus salutem aeternam neglegat.

(1) Postquam epistolam hanc scripsit, in extrema pagina non iam spatium addendae salutationis patris Godinot invenit; idcirco eam parvis litteris summae paginae addidit.

(2) Cfr. ep. LXI.

tanto validioribus eges subsidiis. Hunc Iulium mensem ne intermittas, quin consilium meum sequaris. Die festo S. Dei Genitricis, quem agemus 16°, quo die anno proximo S. Comunionem recepisti (talia non obliviscor), tertia Dominica, diebus festis S. Annae vel S. Ignatii tui singulariter memor ero, cum existimem, fratrem meum saltem in uno illorum cum pio Salvatore, quo quotidie fruor, se esse coniuncturum. Nosti, carissime frater, e qua mente haec verba proferantur. Utinam uterque nostrum curet, ut illuc adveniamus, unde non erit discessus.

3. — Vale! Salutes velim a me patrem, qui quasi in solitudine versans, cum filios non apud se habeat, fortasse mei saepius memor sit et tempus longius esse iudicet. Sancta Dei consolatio et benedictio cum omnibus vobis sit. Materteram Meilink et reliquos notos amicosque ex animo saluto, inter quos Dominus Schaap cum eius familia non est praetermittendus. — Vale! Pluries inter nos litteras dabimus. Salutationes.

Cum omni observantia et pietate, servus tuus et frater tui amantissimus.

I. Roothaan S. I.

Audisti, ut opinor, R. D. Rainal e vita excessisse. Fieri potest, ut repentina eius mors rei tibi notae [1] profutura sit. Omnia e caelo dependent; quo melius fieri nequit.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) Denotat sane dissensionem catholicorum. De qua cfr. ep. LXI.

LXIV. Ad P. Mauritium Nizard.

1. *Amicum adventus sui certiorem fecit.* — 2. *Una Deo gratias agent qui hoc solatium eis largitus est.*

Marc, près Lille, 22 Juillet 1822.

Mon Révérend et très respectable ami.
P. C.

Comiter et lepide amicum adventus sui certiorem facit.

1. — Votre très-agreable lettre du 8 de ce mois me fut rendue avant hier. Je vois bien par cette lettre que vous étudiez la théologie et que vous êtes accoutumé à faire des argumentations et des syllogismes en règle : et après avoir prouvé en détail toutes les parties de votre thèse, vous prévenez encore l'objection qui pourrait éluder ou anéantir toutes vos preuves quelque solides qu'elles fussent. Que vous répondrai-je donc à tout cela? Hélas! vous avez beau presser, argumenter etc., je ne puis dire autre chose que... (et c'est en gémissant, au moins autant que vous) *concedo omnia in sensu explicando et nego consequentiam.* Est-il possible? me direz vous. — Vous savez que je ne suis rien moi, que je ne puis faire un seul pas sans l'agrément du R. Père Godinot; or c'est un homme ferme, si invincible dans ses résolutions qu'il n'y a pas moyen de lui faire faire une seule lieue de détour, de lui faire sacrifier une seule heure sans raison suffisante. C'est bien, possible, facile, avantageux, en outre, invitation pressante de la part du R. Père Recteur Druilhet (1) lui-même, tout cela ne présente-t-il pas une seule raison suffisante? Je n'en sais rien. Peut-être dans d'autres circonstances le R. P. Godinot n'aurait-il pu tenir contre tant et de si fortes instances; mais c'en est fait, son parti est pris, il faut se résigner.

Il faut donc vous dire, quoi qu'il m'en coûte à moi-même, — votre lettre si aimable, vos arguments si pressants n'ont pu produire grand effet sur le R. Père Godinot dans cette conjoncture. — Voici le secret je ne veux pas mettre votre amitié à l'épreuve plus longtemps. Il y a plus d'un mois que le R. P. Godinot s'est déterminé à passer à Saint Acheul et à Paris et cela d'après une invitation très amicale de la part du R. P. Provin-

(1) Iulianus Druilhet, n. Aureliani a. 1768, ingr. 1814, rector Coll. St. Acheul, praep. prov. Gallicae, praeceptor Comitis de Chambord, ob. Tolosae 1845.

cial Richardot lui-même pour faire la paix. Vous sentez bien que c'est là une raison même plus que suffisante, et que la détermination une fois prise, votre lettre et vos arguments n'ont pu produire d'autre effet que celui de lui faire faire ce petit détour avec d'autant plus de satisfaction.

2. — Réjouissons nous donc dans le Seigneur de cet arrangement que la Providence nous a enfin ménagé. Si j'ai eu cette satisfaction plus tôt que vous, vous avez eu, en attendant, le mérite de la résignation, que je n'ai pas voulu vous faire perdre tout de suite par les première phrases de cette lettre. C'est une si belle chose que la résignation de tous nos désirs et de toutes nos satisfactions entre les mains de l'aimable Providence. Je ne vous dis donc plus rien à présent. Nous nous verrons, nous nous embrasserons, nous nous parlerons à loisir, j'espère dans peu de jours. En attendant continuez à me donner quelque petite part dans vos bonnes oeuvres, vos saints sacrifices et prières.

Gaudium in Domino.

Je suis toujours avec le même dévouement

Mon très cher et respectable Maurice
Votre très humble et très affectionné

JEAN ROOTHAAN S. J.

ARCH. POSTUL. S. I. Copia.

LXV. AD P. MAURITIUM NIZARD.

1. *Pericula et incommoda itineris narrat.* — 2. *Pax et gaudium in Domino.*

Paris, 2 Août 1822.

Mon cher Maurice.

1. — Notre voyage d'hier a été très-heureux dans le sens ordinaire, jusqu'à Chantilly, à 10 lieues de Paris; ensuite, il a été heureux dans le sens de St. François de Borgia. Tout en arrivant à cette station, notre voiture fut renversée, et nous ne savons pas trop comment, car il n'y avait pas d'inégalité de terrain bien considérable. La caisse de la voiture mise en pièces, les effets répandus sur le chemin, et nous mêmes nous nous en som-

Itineris narratio.

Raeda corruente periclitati sunt.

mes tirés le mieux possible, il n'y eut ni tête cassée ni bras ni jambes fracassés ou disloqués. Nous avons donc eu raison de dire, même dans le sens ordinaire : c'est encore un bonheur. Cependant le R. P. Godinot est un peu blessé aux deux jambes et à la tête ; pour moi je n'ai rien eu dans le moment, mais aujourd'hui j'ai un peu mal à la tête, ce qui m'arrive très rarement. J'espère que l'affaire n'aura pas de suite fâcheuse pour le R. P. Godinot qui est d'ailleurs faible, et qui est à présent extraordinairement fatigué.

Alia incommoda.

Après cet accident, nos effets ramassés comme celà se pouvait, dans des sacs, nous avons continué notre voyage dans une chaise de poste bien dure, sur la belle route de Paris. Car pour notre voiture, il n'y avait pas à balancer, il fallut en vendre les débris pour six louis, elle nous en avait coûté une trentaine. Quoiqu'il en soit nous voilà à Paris, arrivés à 10 heures du soir bien balotés et secoués. Vous conviendrez au moins que le jour d'hier a été pour nous une forte journée dans tous les sens. *Sit nomen Domini benedictum!*

Ici nous avons été reçus, quoi qu'il fût si tard, et que tout le monde fût déjà couché, très charitablement par le bon Fr. portier qui nous a donné à dîner, et nous éprouvons l'hospitalité la plus amicale, comme vous le devinez aisément sans que je le dise. *Quam bonum et quam iucundum!*

Pax et gaudium in Domino.

2. — Pour vous, mon très cher Maurice, faites comme nous avons dit, courage, confiance en Dieu, joie dans le Seigneur. *Delectare in Domino. Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum.* Pas d'abattement, pas de tristesse, pas de coeur serré. *Omnem sollicitudinem proiicientes in Eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Si vous pouviez trouver les oeuvres de Blosius, je crois que vous les liriez aussi avec beaucoup de fruit. C'est un des ascètes qui vraiment dilatent le coeur. Voici un petit morceau de lui qui vous convient.

Capitulum ex operibus Blosii.

« *Mox ubi tribulationem... aliquam suboriri senseris, converte mentem ad Dominum, eique te prorsus committe... pertractans cum eo tamquam cum piissimo patre, praesentissimo adiutore, quidquid te agit... Licet insidientur daemones, et tentationum laqueos praeparent, licet virtutis iter laboriosum invenias, licet, licet... licet mens obnubilata caliget et instabilitate affligatur, licet spiritus taedio affectus dormitet, internoque gelu constringatur : tu patientiam ubique servare memineris, omnia amanter suscipe tanquam pretiosissima a Deo tibi transmissa... Etiamsi ipse Dominus te veluti a se proiecerit, et proiectum satanae quodammodo tradiderit... nihil tamen sinistri suspiceris de piissimi conditoris erga te dilectione... sed nuda fide nudaque charitate illi adhaerens, permitte te tum flagellari, et sicut ipse volue-*

rit, et quamdiu voluerit, subinde dicens in corde tuo: voluntas Domini fiat, mala enim esse non potest». Canon vitae spiritualis, c. 9. Au reste, si vous voulez m'écrire de temps en temps pas de difficulté de la part de nos Superieurs en Suisse.

Je suis toujours dans les SS. Coeurs de Jésus et de Marie

Votre très humble, et très dévoué servit.

J. ROOTHAAN S. J.

ARCH. POSTUL. S. I. Copia.

LXVI. AD ALBERTUM FRATREM.

De itinere quod fecit Amstelodamo Lutetiam et de periculo in quod apud Lutetiam incurrit.

Friburgo in Helvetia, 14 Aug. 1822.

Carissime frater.

Occasioni paucarum litterarum tibi mittendarum deesse nolo. Die undecimo huius mensis salvi huc advenimus. Deo gratias! Revera domi sumus! Iter nostrum, uti nosti, per Lutetiam ducebat, ad quam urbem ut pervenias, non parvae sane molestiae, syngraphorum aliarumque rerum causa, tibi fiunt. Insuper, vix decem horarum spatio a Lutetia aberamus, cum incommodum aliquod nobis accidit. Rheda nostra subversa est eiusque capsa, seu quaecumque res illa est in qua viator sedet, ita tota corruit, ut refici non potuerit. Itaque coacti sumus rhedae *fragmenta* fere nihilo vendere, propterea quod si eam sarciendam tegendamque dedissemus, maiorem numeravissemus pecuniam. — *Patientia!* Deo gratias, quod integri intactique, nec brachiis neque cruribus neque cervice fractis prorepsimus. Praecipue sollicitus fui de Rev. P. Godinot, iam seniore. Sed omnia bene evenerunt et reliquum iter prosperum fuit, exceptis utique decem horis, quae supererant antequam Lutetiam perveniretur. Quod spatium in duro, horribiliter duro publico vehiculo conficiendum fuit. En diem fructuosam! Deo gratias pro omnibus! — Prae temporis angustia litteras producere non possum. Finem igitur scribendi facio, divinam tibi precatus benedictionem, quam quomodo intellegam, nosti. Verae patris, fratris, uxoris

Incolumis licet non sine itineris incommodis domum rediit.

Deo gratiae agendae.

tuae piorumque sex liberorum utilitates quotidie in mea sunt « patena » positae. Omnes ex animo in SS. Iesu Cordibus saluto; cum omni maneo reverentia et fraterna caritate

sedulus tuus servus fraterque benevolus
Ioannes Roothaan S. I.

Plurimam salutem a R. D. G. tibi et fratribus nostris dico. Saluto etiam cognatos amicosque.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

LXVII. Ad Albertum Fratrem.

Raptim paucis verbis gratias agit et salutem dicit.

Briga, 13 Sept. 1822.

Carissime frater

Heri iuvenis ille huc advenit, qui cum mense ante Amstelodamo profectus esset, tuis patrisque verbis mihi praesenti salutem dixit. Quod equidem identidem absentibus vobis litteris feci et nunc iterum facio. A mense fere reduces sumus. An hoc anno sedes mutanda mihi sit nescio equidem, puto autem omnia integra esse mansura.

Quomodo tu et pater valetis? Occasione data libenter pauca verba a te acciperem. Ceterum: nullus nuntius nuntius bonus. Deus omnibus vobis benedicat. Salutem plurimam dico patri nostro, tibi uxorique tuae, materterae Meylink, liberis, aliis. Semper inter nos coniuncti simus sancta Dei Gratia. Vale carissime frater

Frater tui amantissimus et quotidie memor
I. Roothaan S. I.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

LXVIII. Ad Albertum Fratrem.

1. *Cantus aliquos ecclesiasticos mittit.* — 2. *De Seminario Culemborgensi.* — 3. *Parentes liberos saepe Domino servandos offerant.* — 4. *Nuntii, salutationes.*

Briga, 2 oct. 1822.

Carissime frater.

1. — Quum P. Kock [1] Amstelodamum proficiscatur, praetermittere non possum ne tibi verba aliqua scribam.

Cantus aliquos ecclesiasticos per P. Kock mittit.

Rev. Pater opuscula quaedam musica, cantibus ecclesiae apta, secum fert, quae quamquam Culemborgo destinata sunt, tamen neque tibi ingrata fore puto. Quodsi ita est, ea transcribenda cures. Nonnulla suavissima esse mihi videntur.

2. — E longuinquo hic querelae de S. C. [2] audiuntur. Dolerem propter optimos iuvenes catholicos, si opus istud, tam praeclare coeptum et prospere procedens interiret. Verumtamen rem totam Dei manibus committamus!

Querelae audiuntur de Seminario Culemburgensi.

3. — Quomodo vobiscum, imprimis cum liberis, agitur? Cum hoc anno Antverpiae in aula D. Van der Vin morarer, ubi per totum fere matutinum tempus soli quotidianas preces et alia negotia fecimus, intentis oculis anglicam [3] illam imaginem contemplatus sum, qua Dominus Noster parvulis ad se adductis benedicens depictus est. Quam per horam fere intuitus et meditatus, de liberis tuis potissimum cogitavi. Parentes sane nihil melius facere possunt, quam saepe liberos, maxime cum etiam infantes et innocentes sint, Salvatori nostro beandos et conservandos offerre. Faxit Deus, ut vos, parentes, de hac re saepe ita cogitetis. Quam beatus ille, quem Deus primis vitae annis tuetur! Id quotidie a Deo pro liberis tuis precor.

Pia meditatio de christiana liberorum institutione.

4. — Nihilne amplius DD. Govaerts et Van de Vin de Bollandistis audierunt? Pater, qui cum hisce litteris ad vos venit, aliquoties strenue mecum laboravit. Spero eum etiam Amstelodami uberes fructus percepturum esse. Vale. Patri, materte-

Nuntii, salutationes.

---

(1) Gerardus Kock S. I. n. Delphis in Hollandia a. 1793, ingr. 1817, socius missionum P.is Roothaan in Helvetia 1822-1827, op. eccl. De Krijtberg, ob. Neomagi 1829.

(2) Seminarium Culemborgense. R. P. de Hasque, strenue adiutus ab ampl.mo D. Gerardo Van Nooy, archipresbytero Ultraiectensi, approbante Vice Superiore Missionis Hollandicae Ill. v. Ciamberlani, a. 1818 Culemborgi « Scholam latinam » instituerat.

(3) Imagines et tabulae a pictoribus anglicis factae ea aetate in Hollandia et Flandria plurimi aestimabantur.

rae Meylink observantiam meam exhibeas; item aestimationem et plurimam salutem dicas uxori tuae ceterisque cognatis, aliis. Deus vobis omnibus adsit!

Tibi addictissimus et amantissimus tui frater
IOANNES ROOTHAAN, S. I.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

LXIX. AD ALBERTUM FRATREM.

1. *Dolet de silentio fratris, sollicitus est de valetudine patris.* — 2. *Existimans fratrem novissimis turbis civilibus damnum fecisse, monet ut fortunam adversam de manu Dei accipiat.* — 3. *Salutationes.*

Briga, die 30 Nov. 1822.

Carissime frater.

Nuntios accipere desiderat, potissimum de patris valetudine.

1. — Novo appropinquante anno cum opportunitas detur tibi, patri, reliquae familiae omnia fausta a divina benevolentia precandi, eam omittere nolim. Iam dudum pauca verba a te exspecto, at nihil audio. Ex quo inter nos collocuti sumus, saepius tecum aliquid communicavi et etiam per Patrem Kock epistolam dedi; accepi autem a te tantum parvum epistolium, quo nuntiasti quid patri accidisset, quo domi manere cogeretur. Parvum cruris vulnus maiora incommoda facile sequuntur, cum in omnibus aedificiis id quod fundamentis noceat res magni periculi esse soleat. Nihilominus, ex eo quod nihil amplius nuntiasti, iure colligere mihi videor, omnia iam bene se habere, patremque a custodia liberatum, iterum sicut soleat ecclesias visitare. Quodsi fallor, nuntium exspecto; immo utcumque res se habet me aliquid a te accepturum esse spero. Addas, quaeso, quid carissimi liberi tui agant, an mutatio hoc anno in De Krijtberg facta universe placeat et potissimum novus Pater [1], qui antea socius meus fuit.

Monet fratrem, ut fortunam adversam de manu Dei accipiat.

2. — Te hisce mensibus multis rebus occupatum fuisse et forsitan etiam nunc occupari puto. Rerum publicarum perturbationes quemadmodum in diariis publicis legimus, Londini, Lutetiae Parisiorum, aliis in urbibus, haud scio an etiam Am-

(1) P. Ger. Kock, de quo cfr. ep. LXVIII.

stelodami praeclarissimis domibus maxima damna attulerunt. Urbs Geneva per se sola centies quinquagies centena milia amisisse dicitur, eoque factum esse ut multorum fortunae corruerint. Aliquando mecum reputavi, fieri potuisse, ut etiam frater meus detrimentum ceperit, eum autem si quid adversi sibi accidat, profecto memorem fore praeclarorum verborum, quae pretiosiora sint opibus et divitiis: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Ex quo intelligere potes, frater mi, me quamvis a mundo separatum et talibus rebus quasi mortuum, tui tamen tuorumque commodorum non esse incuriosum, quamquam libenter fateor me eorum curam eatenus tantum habere, quatenus ad veram sempiternamque beatitudinem tuam pertineant. « *Qui volunt divites fieri,* inquit S. Paulus (1), *incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia* ». Nihil mihi audire iucundius fuit, quam cum anno superiore in horto amplissimi Domini (2), in pago Maarssen, diceres te minime optare, ut dives fieres, sed id omnino divinae Providentiae committere. Ita animatum esse, mihi crede, frater mi, cum vere christianum est tum etiam maxime necessarium. Quin etiam ipsis temporalibus rebus utile est, quia ab imprudentiae periculis, quibus vel amplissimae Domus funditus evertuntur hominem defendit. Insuper validum adiumentum est ne quis rebus secundis abutatur neve in adversis officia christiana neglegat.

3. — Deus tibi, mi frater, anno insequenti abunde benedicat. Haec patri, observandae uxori tuae, materterae Meylink confirmes velim. Omnia cum Deo et in Deo! Vale, identidem scribas, quaeso. Ceterum ita censeo: « nuntius nullus, bonus nuntius »! At occasione data, quae sane interdum dabitur, epistula a te scripta mihi valde grata erit. In SS. Cordibus Iesu et Mariae semper ero — Vota, salutationes.

tibi addictissimus et amantissimus tui frater
IOANNES ROOTHAAN, S. I.

Plurimam salutem dicas et pia vota RR. Patribus in de Krijtberg degentibus, praesertim veteri socio meo.

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

---

(1) Cf. 1 Tim. 6: 9.
(2) Archipresbyteri Ultraiectensis, Gerardi van Nooy. Cfr. ep. LXVIII.

LXX. Ad Albertum Fratrem.

Gratias agit pro epistola. Vota, preces, salutationes.

Briga, 14 Febr. 1823.

Carissime frater.

Gratia Dei omnibus rebus anteponenda.

Summo cum gaudio epistolam tuam d. 9 Ian. datam accepi. Tribuat tibi Deus gratiam suam sanctam, qua semper tam bene animatus maneas quam sis atque esse oporteat. Id unum est quod nos et bonos et vere felices reddere valet. *Transit enim figura huius mundi* et cum ea omnes res caducae transeunt. Praestat igitur Dei gratia confirmari atque augeri.

De utilitate meditationis.

Accepi R. P. Kock per quadragesimam aliquanto copiosius veritates aeternas quae dicuntur esse tractaturum. Faxit Deus, ut multis saluti sint. Vix dici potest quantum meditatio illarum veritatum homini prosit, neque dubito quin quoad potueris ei interfuturus sis.

Salutationes.

Vale carissime frater. Animo te amplector, salutem plurimam dico dilectae uxori liberisque tuis, aliis, praesertim materterae Meylink. — Item a me salutes velim amicos nostros in De Krijtberg. — Deus vobiscum sit! Hisce inclusum invenies epistolium, quod Patri nostro scripsi, quem pietati tuae commendare sane supervacaneum est. Alias litteras dedi D. Mosch.

Frater tui amantissimus
I. Roothaan S. I.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

LXXI. Ad Patrem, Mathiam Roothaan.

Patrem in adversa valetudine piissimiis adhoratationibus solatur.

Briga, 14 Febr. 1823.

Pater honoratissime

Magnum, immo maximum gaudium mihi praebuerunt litterulae tuae die 9 Ian. sup. ad me missae, quas cum legerem te, quamquam pede laesum, manu tamen minime tremula scribentem atque integris animi facultatibus gaudentem quasi ipsis oculis cernebam. Quod tibi mense Sept. acciderat aliquam sollicitudinem mihi attulit, ideo quod istiusmodi casus, praecipue cum tanta aetate eveniant, haud semper malis effectibus careant. Deo pro omnibus gratiae agantur! Diligentibus Eum omnia cooperantur in bonum. Omnes difficultates, omnes molestiae praetereunt, merita autem patientiae non praeteribunt; omnia enim apud superos conscribuntur ac suo tempore multo liberalius quam desiderare vel etiam cogitare possumus praemia consequentur. Antiquum istud tuum studium legendorum bonorum piorumque librorum tibi profecto magnum solatium magnamque delectationem attulit in « custodia ista », qua per complures menses detinebaris. Quam feliciter contigit, ut in ista senectute cunctorum sensuum facultate maxime oculorum, libere uti possis. Domi retineri, ecclesiis frequentandi privari, dura quidem probatio est; sed mens tua non sedi adfixa haeret neque domesticis detinetur finibus. Quae enim, etsi corpus domi remanet, ecclesias visitare potest, non Amstelodami solum, sed Brigae etiam, ubi Sacerdos quidam singulis diebus in Sacro Altari tui meminit; qua etiam terram relinquere potes ut caelum attingas, ubi primum Principium nostrum est atque finis ultimus, ubi aliquando beatam commorationem nos adepturos esse maxima cum fiducia infinitorum piissimi Salvatoris meritorum speramus. — Vale, pater mi; utinam quae Dei est gratia, animus tuus deliciis, quiete, gaudio quod est de universa sancta eius voluntate, impleatur.

Gratias agit pro litteris, a patre seni firma manu scriptis.

Quodsi corpore domi manere debet, mente ecclesias visitare potest.

Tui amantissimus beneficiorumque memor filius

I. Roothaan, S. I.

Arch. Roothaan, Amstelodami. (*Versio ex ling. neerl.*).

LXXII. Ad Albertum Fratrem.

1. *De reditu Amstelodamo Brigam.* — 2. *In Italiam profecturus est; manebunt autem una in Domino.* — 3. *Salutationes. Dei voluntas semper fiat.*

Briga, 20 Iun. 1823.

Cras, 21 Iunii, dies festus est Sti patroni filiolae tuae Louisje; liberorum tuorum non obliviscor.

Carissime frater.

Brigam secundo itinere rediit.

1. — Ex quo alius alium vidimus et voce valediximus, bis a me nuntium salutemque, ni fallor, accepisti, primum Antverpia per D. van de Vin, deinde Gandavo datis litteris, in quibus (1) etsi tibi inscriptis, nihil tamen ad te scripseram. Tunc ita quidem feci, at nunc alio modo, quia puto ipsas litterulas tibi acceptiores futuras esse quam inscriptionem solam! Huc, qua de re Deo gratiae sint, bona valetudine die 9° huius mensis advenimus, postquam 2° die Lutetia Parisiorum profecti et Lugduni per unum et dimidium diem morati sumus; itaque 200 itineris horas 5½ diebus confecimus. Nonne satis celeriter?

In Italiam profecturus est.

2. — Age, carissime frater, facile fieri potest ut, cum has litteras legas, aut iam hinc profectus aut saltem Alpes montes superaturus sim. Quatenus autem cognitum nunc est, non longe in Italia procedam, haud plus 3 vel 4 itineris diebus. Postea profecto copiosius scribam, sed non amplius tam saepe, quam hisce annis feci, quibus, ut ita dicam, quasi in eadem regione versabamur. Abhinc non ita erit. Si ad me litteras dare volueris, inscribas eas ut adhuc solebas; dein hinc ad me mittentur.

Petit a fratre, ut sibi modos musicos eccl. mittat.

En accuratam designationem illarum Missarum, de quibus tecum locutus sum: «Messes d'Amsterdam au nombre d'environ 17 avec des motets et des Tantum ergo, et quelques antiennes à l'honneur de la S. Vierge à 4 voix, en 4 Tomes» (2). Itaque tomi sunt 4, unicuique voci suus. Quas si noveris aut inveneris, gratum mihi erit earum exemplum accipere, quod R. P. Fol (3),

(1) Litterae scriptae erant ad aliquem sub nomine Alberti Roothaan, qui eas transmittendas curavit.

(2) Albertus Roothaan eiusque liberi artis musicae studiosissimi fuerunt. Unus ex eius filiis, Theodorus, postea Missam a se compositam in lucem edidit, quae inscribitur « Missa duabus vocibus canenda, organo comitante, auctore Th. I. Roothaan, Amstelodami apud Th. I. Roothaan & S.os 1860 ».

(3) Franciscus Fol., Belga, n. 1782 in pago Ichtegem, ingr. 1814, Sup. eccl. de Krijtberg, ob. 1849 Amstelodami.

proximo autumno occasione data ad me mittere velit. Spero fore, ut omnia domi bene se habeant. Plurimam salutem et obsequium meum dicas patri, coniugi tuae, materterae Meylink, aliis.

Quamquam nunc iterum aliquot millibus passuum longius inter nos distamus, inter nos tamen coniuncti, ut spero in Deo, omnis verae societatis et amoris sede manebimus. Deus semper nobiscum sit et nos cum Deo semper, ut neque locorum distantia neque spatium temporis nos seiungere possit. In caelo aliquando, ut speramus, meliore ratione conveniemus, una permansuri. Hic nobis praecipuus finis esto et praestantissimus, immo solus praestans, quem si in suo quisque statu spectaverimus non spe frustrati erimus. Res temporales non semper nobis bene succedent, aeternae semper. Divina enim misericordia efficit, ut Eius amicus et sim, modo velim, et permansurus sim, modo ne ipse huic beatae amicitiae desim. Haec nostra est felicitas, haec fiducia nostra in omnibus huius vitae casibus. « *In domo Patris nostri Caelestis mansiones multae sunt* »; satis spatiosa est ut omnes homines recipiat, qui se ipsi non proterve excludant. A qua stultitia Deus nos praeservet. Vale, carissime frater; semper persuasum habe me tui memorem esse! Nosti quo modo hanc recordationem intellegam, quid pro te et pro aliis, qui mihi cari sint a Deo petam. Quod etiam patri sororique et aliis affirmes, quaeso.

Quamvis longius separati in Deo tamen coniuncti manebunt.

Ad coelum semper mente suspiciendum.

3. — Meis verbis velim salutem dicas D° Mosch, Schaap, aliis. D° Mosch promisi me aliquando scripturum esse, quod quidem facere oblitus non sum, distuli autem ad posterius tempus. Interea opto ut iam melioribus pedibus gaudeat, quam cum eum visitaremus. Fundamenta bene valeant necesse est, quod etiam patri dictum volo. Ceterum sancta Dei voluntas semper fiat, quippe quae semper bona sit, neque umquam mala esse possit. Vale, mente vos omnes amplector et in S. S. Cordibus Iesu et Mariae permaneo

Salutationes, vota.

Frater tui amantissimus

IOANNES ROOTHAAN, S. I.

Spero RR. PP., qui in De Krijtberg degant, mei identidem memores fore, licet iam non ita prope sim. Quod ex parte mea sincere promitto. Aliquoties mente excursiones facio neque tum Amstelodamum omitto, quo pluries dico: « Memento Domine et miserere ».

ARCH. ROOTHAAN, AMSTELODAMI. (*Versio ex ling. neerl.*).

EPISTOLAE A IOANNE ROOTHAAN SCRIPTAE ANNIS 1823-1829, QUIBUS COLLEGIO S. FRANC. A PAULA RECTOR ET PROVINCIAE ITALIAE VICE-PROVINCIALIS PRAEFUIT.

LXXIII. Ad A. R. P. Aloysium Fortis Praep. Gen. S. I.

1. *De adventu Aug. Taur.* — 2. *Omnem fiduciam in virtute s. obedientiae ponit.* — 3. *Gratias agit R. P. Generali pro litteris solatii plenis. Benigne a com. Viotti receptus est.* — 4. *Preces.*

Torino, 7 Luglio 1823.

Molto Rivèrendo in Xto Padre Generale.

Mandato accepto quam primum Aug. Taur. profectus est.

1. — Eccomi dunque giunto, dove la S. Ubbidienza mi chiamava. Subito dopo averne ricevuto l'ordine di Vostra Paternità, sono partito di Briga, ai 2 del mese corrente e fatto viaggio con tutta la fretta possibile, son arrivato quì ai 5, la mattina di buon'ora (1). Mi rincresce molto di non esser giunto quì nel tempo quando il R. P. Provinciale d'Italia (2) vi faceva la sua visita; per fortuna però ho avuta la consolazione di rincontrarlo non lontano di Torino, onde appunto era partito quella stessa mattina.

Muneri sibi imposito satisfacere suis viribus nequit.

2. — Da questo che V. Paternità M. R. mi diceva nella Sua pregiatissima dei 21 Giugno, dandomi solamente una idea quasi leggiermente adombrata del carico al quale mi vien supporre le spalle, io già avevo compreso, quanto quest'opera sia sopra le mie forze; il R. P. Provle., facendo mi coraggio, me n'ha detto ancora più, benchè in poche parole; e molto più ne vedo la difficoltà per le conferenze avute col R. P. Rettore (3). Oimè! Io sento bene che in me non c'è niente di quello che si vorrebbe per tali e tanti impieghi. Un pochettino di buona volontà, e forse qualche picciola disposizione per ordinare qualche piccoli affari sotto un bravo e prudente Superiore, questo è tutto quello che in Dno. trovo in me. Per tanto, la S. Ubbidienza sarà la mia forza ed il mio sostegno.

Obedientia eum adiuvabit.

---

(1) Carolus Felix represso tumultu, cuius Universitatis Taurinensis alumni pars magna fuerant, institutionem studiosae iuventutis prorsus reformare statuit. Quo circa quattuor collegia, quae dicebantur « Provinciarum », Societati Iesu commisit. Ampla aedificia S. Franc. a Paula, Augustae Taurinorum in via Po sita, ad id a rege oblata sunt. Huic novo Collegio R. P. Roothaan Rector constitutus erat. — Cfr. de hac missione P. A. Monti, *La C. d. G. nel territ. d. Prov. Torin.* III, 225 ss.

(2) P. Vincentius Pavani, n. 1761, ingr. 1804, ob. Romae 1842.

(3) P. Ioannes Antonius Grassi, n. Bergami 1780, ingr. 1799, ob. Avenione 1849.

Gratias agit pro litteris solatii plenis.

3. — Mille ringraziamenti alla V. Paternità M. R. di tante parole piene di consolazione mandatemi nella sua ultima Lettera : le ho lette e meditate già molte volte, e le leggerò e mediterò ancora sovente, nelle difficoltà, negl'imbrogli ed impicci, che sicuramente non mi mancheranno. Il giorno istesso del mio arrivo ho fatta col R. P. Rettore la visita all'Illmo. Sign. Cav. Viotti (1), per recargli la Lettera di V. Paternità. Ci ha ricevuti questo Signore con grande bontà, et jeri egli stesso è venuto quì dal P. Rettore ed anche da me, per farmi coraggio, e darmi buona speranza di riuscire alla maggior gloria del N. Signore. Godo molto, che non avrò che da esequire quello che sarà tutto fissato e determinato di V. Paternità. Quanto a i dettagli ed agli articoli riguardanti a questo impiego, le quali V. Paternità mi diceva che le intenderei dalla bocca del Sign. Viotti, son rimandato da Lui al P. Rettore, a cui solo ed al Padre Spirituale l'affare è notissimo. Altri dei Nostri nel Collegio ne sanno niente, siccome anche in Svizzera il solo R. P. Provle n'ha conoscenza, e questa anche oscura; tanto pure ne sa, quanto ne compiacque alla V. Paternità di communicare a Lui ed a me.

Benigne receptus est a Censore Universitatis.

Gaudet normis sibi a Superioribus datis.

Preces.

4. — Già mi son dato adesso a veder tutto quello che s'è fatto sinora in questo affare, per conoscerlo meglio; ed aspetto sollecitamente le ulteriori istruzioni che V. Paternità mi promette. Nè mi resta per ora che di pregare umilissimamente la V. Paternità Molto Riverenda di volermi confermare e continuare quelle efficaci benedizioni che mi mandò già nella Sua ultima onoratissima. In tanto sono con profondissimo rispetto ed ubbidienza totale di tutto il cuore

Di Vostra Paternità Molto Riverenda
il figliuolo minimo ed indignissimo
Giovanni Roothaan S. I.

Se Vostra Paternità lo giudicasse bene, bramerei d'ottenere licenza di legger Libri proibiti: perchè credo che ne avrò bisogno, pure se lo crede anzi V. Paternità.

Arch. Gen. d. Comp. Rom. 5-II.

---

(1) Ioannes B. Viotti, Censor Universitatis, qui Patri Roothaan in exsequendis consiliis regiis opera et auctoritate adfuit.

LXXIV. Ad A. R. P. Aloysium Fortis Praep. Gen. S. I.

1. *De parando decreto regio committendi Collegii Societati Iesu.* — 2. *Quaedam dubia.* — 3. *De bonis officiis com. Viotti.* — 4. *Ne festinantius res tanti momenti agatur.*

Torino, 20 Luglio 1823.

Molto Reverendo in Xsto Padre Generale.

